
DE ARGUMENTIS QUIBUSDAM APUD XENOPHONTEM, PLATONEM, ARISTOTELEM OBVIIS E STRUCTURA HOMINIS ET ANIMALIUM PETITIS



DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE HALENSIS CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

TRADIDIT

SHERWOOD OWEN DICKERMAN
CONNECTICUTENSIS



HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCIX

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM
RETTULIT

CAROLUS PRAECHTER.

Conspectus Capitum.

I. De Xenophonteorum commentariorum capitibus duobus (I 4 IV 3) disseritur, quae, cum admodum a reliquis partibus huius libri distarent, a multis viris doctis proximo abhinc saeculo pro suppositiciis habita sunt (pp. 5—7), a F. Duemmlero autem pro veris Xenophontis operibus, quae tamen argumenta continerent ex priore quodam fonte hausta (p. 7). Quam ad rem altius explorandam propositum esse sententias eas, quae in priore capite (I 4) de structura hominis et animalium proferuntur, apud alios scriptores antiquos persequi (p. 8).

II. Cum Xenophonteis sententiis comparantur nonnulli loci Aristotelii qui est de partibus animalium libri, quibus similiter agitur primum de superciliis et dentibus (pp. 8—12), deinde de statu erecto, aspectu proverso, manibus, sermonis facultate (pp. 12—13). Has sententias explicatur, quamvis diversis in partibus operis Aristotelii dispersas, tamen esse partim inter se implicatas et colligatas, partim ab aliis auctoribus consociatas; quamobrem colligi posse eas omnes ex eadem origine ortas esse (pp. 13—17). Praeterea ostenditur hanc originem non fuisse Xenophonteum illud colloquium (I 4) (pp. 17—21).

III. Eiusdem argumentationis vestigia quaeruntur in scriptis Platonicis (pp. 21—27), Xenophonteis (pp. 27—31), Isocrateis (pp. 31—33).

IV. Alteram Xenophonteam disputationem (IV 3) cum illa (I 4) simillimam et cognatam esse exponitur

(pp. 34—35). Hanc autem cum Euripidearum Supplicum vss. 201 sqq. tantam congruentiam prae se ferre, ut valde sit probabile eam ex eodem fonte atque illum sermonem ortam esse; quamobrem colligi posse hanc totam argumentationem ante annum a. C. 420 exstitisse (pp. 35—41).

V. Post recensas opiniones eorum, qui haec argumenta aut Prodico aut Protagorae aut Antistheni attribuere voluerunt (pp. 41—46), ostenditur ea cum Diogenis Apolloniatae doctrina compluribus rebus conspirare. Nec tamen sobrii esse consilii in praesentia ea certo cuidam auctori ascribere (pp. 46—48).

VI. De contraria argumentatione disputatur, qua infirmitas humanae structurae explicata est. Ac sententia ea, quam Aristoteles (de part. an. IV 687a 23) reddit, cum similibus eis, quae in Platonico Protagora (321 C) exstant, comparata, Zelleri argumentum examinatur, quo nixus Aristotelem haec non ex Platone sed ex priore quodam fonte hausisse censuit (pp. 48—53). Deinde alius locus adfertur ex eodem Aristotelis opere (III 662 b 28), qui idem cum Platonica illa expositione insignem exhibet convenientiam, sed hac re ab ea differt, quod varia tela bestiarum distinguuntur et exemplis illustrantur (pp. 53—56). Quae exempla eadem ostenditur apud recentiores scriptores frequentissime occurrere (pp. 56—63), ac iam in Xenophontea Cyropaedia (II 3, 9) obvenire, ita tamen ut ad innatam cognitionem declarandam adhibeantur (pp. 64—65). Hanc autem sententiam exponitur posterioribus quoque temporibus his ipsis exemplis ornatam esse (pp. 65—68). Denique explicatur quomodo fieri potuerit ut eadem series exemplorum ad diversas has sententias illustrandas usurpata sit (pp. 68—73).

VII. Partitionis ratione, quae in Platonica illa expositione cernitur, iam indicata (pp. 73—75), eandem explicatur tripartitam argumentationem ab Epicureis con-

servatam esse (pp. 75—77). Deinde ea, quae Plato de singulis alimenti et tegimenti generibus adfert, cum similibus rationibus apud alios auctores comparantur (pp. 77—81). Denique quaeritur quae ratio intercesserit inter has contrarias de structura hominis et animalium argumentationes (pp. 81—83).

VIII. De nomine auctoris quaeritur, quem Plato hac in expositione secutus est. Atque cum rationes Joelii, qui haec Antistheni tribuere vult, fidem non faciant, concluditur eorum opinionem verisimilem esse, qui Protagoram haec invenisse credunt (pp. 84—88). Indicia quaedam adferuntur, quibus haec opinio confirmari videatur (pp. 88—90).

Breviter comprehenduntur ea, quae hac ex disquisitione consequi videntur (pp. 91—92). Additur collectio locorum, quibus de hominis erecto statu et aspectu sursum converso agitur (pp. 92—101).

I.

In commentariis Xenophonteis duae exstant disputationes, quae inter se persimiles et cognatae sunt, a ceteris autem exemplis Socraticae rationis et disputandi moris, quae hoc libro tradita sunt, tantopere recedunt, ut multae dubitationes et controversiae inter viros doctos inde exortae sint; illam dico, qua Socrates Aristodemum de structura admirabili animalium et imprimis hominum admonet, idque indicium esse ostendit opificis benigni et summa praediti intellegentia (I 4), et alteram eam, qua cum Euthydemo de mundo ad hominis utilitatem sapienter constituto disserit (IV 3).

Hae disputationes non uno modo singulares sunt. Nam alias ubicumque agitur de hominum usu et consuetudine; in his solis res divinae tractantur; explicatur scilicet quae sit deorum providentia et quas rursus gratias homines eis iure meritoque referre debeant. Deinde Socrates, qui aliis locis a physicorum doctrina disciplinaque maxime abhorruisse dicitur, hic subito ex ipsis illorum cogitationibus argumenta petit; in quibus multa inveniuntur, quae ad sententias posteriorum philosophorum et praecipue Stoicorum prope accedant. Quare cum proximo abhinc saeculo homines, qui criticam exercebant artem, liberius iam audaciusque progressi tentarent quid proprio acumine valerent contra traditam antiquitatis auctoritatem atque horum potissimum commentariorum Xenophonteorum vix unum relictum esset caput, quod nullius umquam dubitationem excitasset, minime certe mirum est quod haec quoque quae diximus capita obelum effugere non potuerunt[1]). Sententias igitur IV 3 § 13 *ἐννόει δὲ ὅτι*

[1]) Controversiam quae fuit de commentariis ac singulas singulorum virorum doctorum sententias enarraverunt et Carolus Joel

— ἀόρατος ἡμῖν ἐστιν, quas iam Georgius Augustus Herbst[1]) a Xenophonte abiudicavit, Augustus Krische[2]) a Stoico quodam in loco recognoscendo aut legendo interpositas esse censuit. Ludovicus autem Dindorf[3]) totum caput damnavit ut inepte inter disputationes insertum, in quibus longe diversum cerneretur propositum; simulque colorem quendam sermonis sibi percepisse videbatur, qui a Xenophonteo, quem putavit, dicendi more discreparet. Quam sententiam Carolus Schenkl[4]) similibus rationibus comprobavit. Ad id quidem tempus huic soli ex duobus illis colloquiis fides est negata, de altero cum Aristodemo habito nulla exorta est dubitatio. Sed Augustus Krohn[5]) ex eo ipso vituperando et improbando initium disputandi petivit in illo libro, quo commentarios maximam partem spurios esse demonstrare conatus est. Ac sententiam suam ut confirmaret, arripuit similes posteriorum auctorum locos, quibus eaedem fere res disceptarentur. Attulit enim disputatiunculas et ex Ciceronis de natura deorum libro et ex Aristotelis de partibus animalium commentatione, quibus easdem corporis partes apte et providenter ad usum esse constitutas eodem modo explicatum est. Quas ratiocinationes cum a mentibus hominum Socratis temporibus alienas fuisse contenderet, hoc caput non potuisse ab ipso Xenophonte scriptum esse, sed potius a posteriore quodam scriptore Peripatetica doctrina imbuto insertum esse satis demonstrasse sibi videbatur. Neque aliter de altera disputatione iudicavit. His deinceps rationibus adductus

---

(Der echte und der xenophontische Sokrates I, Berlin 1893, p. 2 sq.) et Augustus Döring (Die Lehre des Sokrates als soziales Reform-System, München 1895, p. 59 sqq.).

1) G. A. Herbst, Xen. Mem. ed. (Halle 1827) p. 290.

2) A. Krische, Forschungen, Göttingen 1840 p. 220.

3) L. Dindorf, Xen. Mem. ed. (Oxford 1862) praefat. p. X sq.

4) K. Schenkl, Xenophontische Studien. Sitz.-Ber. der kais. Akad. Wien 1875 p. 126 sqq.

5) A. Krohn, Sokrates und Xenophon, Halle 1875, Kap. I. III.

Gualterus Gilbert[1]) in commentariis recensendis haec capita uncis inclusit et J. J. Hartman[2]) alterum Krohnio duce, alterum Schenklio et Dindorfio auctoribus damnavit.

Nec tamen defuerunt ipsis illis temporibus, qui ab his sententiis dissentirent; atque inter hos viginti annos, per quos a viris doctis studiose inquirebatur quo modo commentarii essent compositi atque Xenophon utrum nihil nisi ipsos magistri sermones in foro et in gymnasio habitos referre studuisset an suas etiam interdum cogitationes per Socratis personam protulisset, tanta facta est opinionum mutatio ut hodie illae condemnationes vulgo sint reiectae[3]). Quod ad efficiendum multum valuit commentatio Ferdinandi Duemmler[4]), qui censuit argumenta horum capitum ex scripto alius cuiusdam auctoris esse ducta atque inde discrepantiam illam a Socratis imagine, qualis esset in ceteris commentariis expressa, natam esse. Atque quod cum posterioribus auctoribus inveniuntur tot similitudines, inde neutiquam consequi putavit, ut hae disputationes insiticiae essent atque ab interpolatore quodam conscriptae, qui inscienter sententias suis temporibus proprias admisceret, sed potius existimandum esse ceterorum quoque auctorum sententias, quae ad hanc rem spectarent, ex eodem haustas esse fonte, quem Xenophon adiisset. Atque ut sine dubitatione haec Xenophonti redderentur, Carolus

---

[1]) W. Gilbert, Xen. comm. rec. (Leipz. 1888) praef. pp. XIX sq., LXI sq.

[2]) J. J. Hartman, Analecta Xenophontea (Leyden 1887) pp. 132, 150.

[3]) Cf. Th. Birt, de Xen. comm. Socrat. compositione (Marburg 1893), p. IX. E. Richter, Xen. Studien. Jbb. f. class. Phil. Suppl. XIX. 1893 p. 59. Aug. Döring, Die Lehre d. Sokr. als soz. Reform-System. München 1895 pp. 59—64. A. Croiset, Histoire de la litt. grecque, Paris 1895 IV p. 367. K. Lincke solus quem cognoverim proximis annis haec capita pro suppositiciis habet, rationibus nixus non multum aliis ac Krohn, Jbb. f. class. Phil. 1896 p. 447 sqq., 1897 p. 487 sqq. Neue Jbb. f. kl. Alt. IX 1906 pp. 676 sqq. 687.

[4]) F. Duemmler, Akademika, Gießen 1889, Kap. VI p. 96 sqq.

Joel[1]) ceteris scriptis Xenophonteis exploratis ac multis locis similibus collectis et collatis sententias optime cum eius indole cogitandique ratione convenire demonstravit.

Attamen quae Duemmler de origine harum disputationum coniecit, quamvis a compluribus viris doctis accepta[2]), non sunt tam firma stabiliaque ut supervacaneum sit rem accuratius persequi. Namque eius rationes, valde illae quidem ingeniosae et subtiles, sunt tamen nonnumquam minus ad persuadendum aptae; nec desunt inter eas tales, quibus dubitatio aut dissensio excitetur. Non erit igitur inutile ad harum disputationum naturam et compositionis rationem cognoscendam, si quis unam argumentorum seriem, quibus Xenophon potissimum nititur, eorum scilicet, quae ex humani corporis structura et perfectione ducuntur, diligentius examinabit, res similes, quae in aliis quarti a. C. saeculi scriptis obveniunt, cum iis comparabit, rationes, quae inter haec et illa intercedunt, quod eius fieri possit, statuere conabitur. Neque erit a re alienum aliam et contrariam sententiam perscrutari, quae in declarandis vitiis et imbecillitate humani corporis eisdem fere temporibus versata est. Atque cum posteriore quoque aetate acriter hac de re decertatum sit, operae pretium erit apponere etiam recentiorum auctorum similes quos cognoverim locos, qui quidem aut ad sensum illustrandum adiuvent aut eadem ex origine initia habuisse videantur.

II.

Argumenta ea, quae investiganda mihi proposui, maximam partem proferuntur in ea disputatione, quam Socrates cum Aristodemo habet (I 4). Ac de animantium constructione primum agitur § 5 sq., ubi descriptis eis

---

[1]) K. Joel, Der echte und der xenophont. Sokr., Berlin 1893, I p. 118 sqq.

[2]) P. Natorp, Phil. Monatsh. XXVI 1890 p. 465 sq. E. Richter, Xenophon. Stud. p. 145. L. Radermacher, Eurip. und d. Mantik, Rh. Mus. 53, 1898 p. 506.

corporis partibus, quibus res externas percipimus, et nonnullis, quibus hae proteguntur, nec non commemoratis aliis quibusdam, quae in cibo conficiendo munere funguntur, has omnes maximum esse documentum affirmatur artificis, qui sit et intellegens et benignus. Hoc tamen loco Xenophon non constanter distinguit humanum genus et reliqua animalia, quippe qui primo de hominibus dicat (cf. § 5 *ἀνθρώπους, ἡμῖν*), postea ad universa animalia spectet (cf. § 6 *πᾶσι ζῴοις, τὰ ζῷα*, cf. quoque § 7). Sed eis, quae paulo post sequuntur, plane segregat homines a ceteris eosque multum structura et constitutione bestiis praestare explicat hoc consilio, ut deos demonstret humanum genus praecipue curare et fovere. Quas ad expositiones proxime accedunt loci quidam eius quem Aristoteles de partibus animalium scripsit libri; quin etiam hi tantopere cum eis congruunt, ut, quod ante dixi, Krohn non minimum hac re commotus sit, ut hoc colloquium insertum esse a quodam Aristotelis sectatore censeret. Nos autem, quibus persuasum sit eis rationibus, quas viri docti ad Xenophontis auctoritatem stabiliendam attulerunt, hac ipsa sententiarum convenientia suspicamur nonnihil adiumenti posse afferri ad eam disquisitionem, quam habemus de fontibus, si quibus Xenophon hac in disputatione conscribenda usus est. Quare primum inspiciamus priorem illam Xenophontis expositionem, qua disseritur de membris ad sensus adiunctis aut ad cibum conficiendum idoneis, atque Aristotelia illa quae cum ea congruunt.

Xen. comm. I 4, 6.	Arist. de part. an. II 658b 14.
πρὸς δὲ τούτοις οὐ δοκεῖ σοι καὶ τάδε προνοίας ἔργοις ἐοικέναι .... ὀφρύσι τε ἀπογεισῶσαι τὰ ὑπὲρ τῶν ὀμμάτων ὡς μηδ᾽ ὁ ἐκ τῆς κεφαλῆς ἱδρὼς κακουργῇ;	*Αἱ δ᾽ ὀφρύες καὶ αἱ βλεφαρίδες ἀμφότεραι βοηθείας χάριν εἰσίν, αἱ μὲν ὀφρύες τῶν καταβαινόντων ὑγρῶν, ὅπως ἀποστέγωσιν οἷον ἀπογείσωμα τῶν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ὑγρῶν, αἱ δὲ βλεφαρίδες τῶν πρὸς τὰ ὄμματα προσπιπτόντων ἕνεκεν ....*

καὶ τοὺς μὲν πρόσθεν ὀδόντας πᾶσι ζώοις οἵους τέμνειν εἶναι, τοὺς δὲ γομφίους οἵους παρὰ τούτων δεξαμένους λεαίνειν.	III 661 b 7 *ὁ δ' ἄνθρωπος πρός τε τὴν κοινὴν χρῆσιν καλῶς ἔχει πεφυκότας (τοὺς ὀδόντας), τοὺς μὲν προσθίους ὀξεῖς, ἵνα διαιρῶσι, τοὺς δὲ γομφίους πλατεῖς, ἵνα λεαίνωσιν. ὁρίζουσι δ' ἑκατέρους οἱ κυνόδοντες, μέσοι τὴν φύσιν ἀμφοτέρων ὄντες.*

Hoc genus cogitandi, quo corporis partium natura et ratio eis muneribus explicantur, ad quae fungenda singulae conformatae et tamquam destinatae esse videntur, quamvis hodie sit quam maxime usitatum neque inter Graecos et Romanos posterioribus temporibus non fuerit pervulgatum, fuit tamen aliquando sine dubio novum et recens. Vix autem ante sophistarum aetatem possumus credere tam accuratam exstitisse corporis partium descriptionem, quam Xenophon hoc colloquio praebet. Non igitur decet neglegere congruentiam eam, quam videmus inter has de superciliis et dentibus sententias, ut quae sint communes loci, iam diu populo noti ac pertriti; ac praesertim cum res quaedam his in sententiis exstet, quam haud potuerint auctores duo forte ac sine ulla inter se ratione invenire; imago enim ea ex parietis corona petita, quam et Xenophon et Aristoteles in superciliis depingendis adhibent, quin ex uno ingenio originem habuerit nemo dubitabit.

Nec verisimile videtur Aristotelem haec quae profert ex ipso Xenophonteo colloquio desumpsisse. Nam reliquarum imaginum, quibus huius enarratio ornata est — palpebrae enim cum porta comparantur, pili autem, quibus eae instructae sunt, cum cribro — neutra apud Aristotelem invenitur. Immo vero cum palpebrarum utilitatem non, sicut Xenophon, ita explicet, ut dormientium ad oculos claudendos constitutae sint, sed ut aciem, si quid inciderit, protegant et tueantur, prorsus aliam imaginem

hac in re tractanda usurpat 658 b 18: *οἷον τὰ χαρακώματα ποιοῦσί τινες πρὸ τῶν ἐργμάτων*[1]).

Quod attinet ad alterum exemplum ex dentium conformatione petitum, animadvertere operae pretium est Aristotelem in altero physicae auscultationis libro c. 9, 198b 23, ubi de causis rerum naturalium agens has res exponit non temere neque casu ita ut sint evenisse, sed ad finem quendam convenienter et quia melius sit, atque obiter perstringit eorum sententiam, qui satis habeant eas ad necessitatem quandam naturae referre, hoc ipsum exemplum ad rem suam illustrandam adhibuisse, ut facile credas id defluxisse ex loco aliquo, quo de providentia naturae actum esset:

---

[1]) In libro, quem de anima scripsit II 421 b 28, ubi hanc rem eandem attingit, tertiam ac diversam imaginem adhibet: *τὰ μὲν γὰρ ἔχει φράγμα καὶ ὥσπερ ἔλυτρον τὰ βλέφαρα.*

Harum imaginum vestigia si quis apud scriptores recentioris aetatis persequi velit, velut Cic. de nat. deor. II 57, 143, Apul. de dogm. Plat. I 15, Lactant. de opific. dei 10, 2, Gregor. Nyss. hom. in verb. Fac. hom. 296 C (Migne 44), Theodoret. de prov. III 601 D (Migne 83), Ambros. Ex. VI 9, 58, creberrime obvenit haec ipsa Aristotelia imago. Cf. Cic. de nat. deor. II 57, 143 „munitae sunt palpebrae, tamquam vallo pilorum . . .“ Lactant. de opific. 10, 2 „palpebrae . . . pilis in ordinem stantibus vallatae saeptum oculis decentissimum praebent.“ Theodoret. de prov. III 604 A *τὰς βλεφαρίδας καθάπερ σκόλοπας* . . . Ambros. Ex. VI 9, 60 „pilis hinc inde consertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur.“

Quod ad ceteras illas imagines attinet, praeter hunc Xenophonteum locum alium equidem non cognovi, quo aut palpebrae cum porta aut pili ii, quibus sunt ornati, cum cribro conferantur. Quod autem supercilia cum parietis corona comparantur, huc spectare videtur etymologia ea *ὀφρύων* vocis, quae in Etym. Magn. tradita est: *ἢ ὠπορόφυές τινὲς ὄντες — οἱ ὄροφοι τῶν ὠπῶν*; quam eandem Theodoretum respexisse apparet, haec scribentem 601 C: *οἷόν τινα ὄροφον τῶν ἐπιπεμπομένων ὑετῶν.* Ea quoque quae Lactantius de opif. dei 10, 4 dicit, „ipsa superciliorum fastigia“, eadem ex origine fluxisse verisimile est.

ὥστε τί κωλύει οὕτω καὶ τὰ μέρη ἔχειν ἐν τῇ φύσει, οἷον τοὺς ὀδόντας ἐξ ἀνάγκης ἀνατεῖλαι τοὺς μὲν ἐμπροσθίους ὀξεῖς, ἐπιτηδείους πρὸς τὸ διαιρεῖν, τοὺς δὲ γομφίους πλατεῖς καὶ χρησίμους πρὸς τὸ λεαίνειν τὴν τροφήν, ἐπεὶ οὐ τούτου ἕνεκα γενέσθαι, ἀλλὰ συμπεσεῖν. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων μερῶν, ἐν ὅσοις δοκεῖ ὑπάρχειν τὸ ἕνεκά του.

Haec oratione et verbis cum altero illo Aristotelio loco fere conveniunt. Hoc tantum sententiae differunt, quod dentes canini, de quibus in libro de partibus animalium scripto satis diligentius expositum est, hoc loco, sicut in Xenophontea illa disputatione, omnino non commemorantur. Quare verisimile videtur hanc rem a pristina sententiae forma alienam fuisse atque ab Aristotele ipso, cum illo libro singulas corporis partes accuratius describeret, additam esse[1]).

Nunc autem pergamus ad ea quae Xenophon posteriore disputationis parte ad humani corporis praestantiam vindicandam adfert et quae similia apud Aristotelem leguntur.

Xen. comm. I 4, 11 sq.	Arist. de part. an. III 662 b 18.
. . . . *οἳ* (scil. *οἱ θεοί*) *πρῶτον μὲν μόνον τῶν ζῴων ἄνθρωπον ὀρθὸν ἀνέστησαν· ἡ δὲ ὀρθότης καὶ προορᾶν πλέον ποιεῖ δύνασθαι καὶ τὰ ὕπερθεν μᾶλλον θεᾶσθαι καὶ ἧττον κακοπαθεῖν·*	. . . . *τῶν δ' ἀνθρώπων καλεῖται τὸ μεταξὺ τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ αὐχένος πρόσωπον, ἀπὸ τῆς πράξεως αὐτῆς ὀνομασθέν, ὡς ἔοικεν· διὰ γὰρ τὸ μόνον ὀρθὸν εἶναι τῶν ζῴων μόνον πρόσωθεν ὄπωπε καὶ τὴν φωνὴν εἰς τὸ πρόσω διαπέμπει.*
. . . . *ἔπειτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἑρπετοῖς πόδας ἔδω-*	IV 686 a 33 . . . . *ὥστε πρὸς τὴν ἀσφάλειαν ἀντὶ βραχιόνων καὶ*

[1]) Ne posteriores quidem, qui hanc rem reddunt, auctores caninos dentes commemorant. Cf. Cic. de nat. deor. II 54, 134, [Clement. Rom.] Recogn. VIII 29 (Migne 1 p. 1386 C).

καν, οἳ τὸ πορεύεσθαι μόνον παρέχουσιν, ἀνθρώπῳ δὲ καὶ χεῖρας προσέθεσαν, αἳ τὰ πλεῖστα οἷς εὐδαιμονέστεροι ἐκείνων ἐσμὲν ἐξεργάζονται.	χειρῶν τοὺς προσθίους πόδας ὑπέθηκεν ἡ φύσις τοῖς τετράποσιν. τοὺς μὲν γὰρ ὀπισθίους δύο πᾶσιν ἀναγκαῖον τοῖς πορευτικοῖς ἔχειν, τὰ δὲ τοιαῦτα τετράποδα ἐγένετο οὐ δυναμένης φέρειν τὸ βάρος τῆς ψυχῆς.
	687 a 5 ὀρθῷ δ᾽ ὄντι τὴν φύσιν οὐδεμία χρεία σκελῶν τῶν ἐμπροσθίων, ἀλλ᾽ ἀντὶ τούτων βραχίονας καὶ χεῖρας ἀποδέδωκεν ἡ φύσις.
καὶ μὴν γλῶττάν γε πάντων τῶν ζῴων ἐχόντων, μόνην τὴν τῶν ἀνθρώπων ἐποίησαν οἵαν ἄλλοτε ἀλλαχῇ ψαύουσαν τοῦ στόματος ἀρθροῦν τε τὴν φωνὴν καὶ σημαίνειν πάντα ἀλλήλοις ἃ βουλόμεθα.	II 660 a 17 ὁ μὲν οὖν ἄνθρωπος ἀπολελυμένην τε καὶ μαλακωτάτην ἔχει μάλιστα τὴν γλῶτταν καὶ πλατεῖαν, ὅπως πρὸς ἀμφοτέρας ᾖ τὰς ἐργασίας χρήσιμος, πρός τε τὴν τῶν χυμῶν αἴσθησιν . . . . καὶ πρὸς τὴν τῶν γραμμάτων διάρθρωσιν . . . .

Hic quaerat fortasse quispiam: Quid est quod credas locos istos Aristotelios omnes eandem habuisse originem? Non enim continuo se excipiunt sed seiuncti in diversis libri partibus inveniuntur. Quid igitur prohibet ne putemus Aristotelem istas res alias alio ex fonte sumpsisse, partim ipsum excogitasse? Huic dubitationi ut respondeam satis esse mihi videtur ostendere has sententias singulas, sicut apud Xenophontem, ita apud Aristotelem esse ad unum propositum declarandum accommodatas et eas quae laudantur structurae humanae opportunitates inter se colligatas et implicatas esse, ut quae sint partes unius atque eiusdem argumenti. Ac primum, ut in Xenophontea illa expositione humanum genus a ceteris animalibus distinguitur nosque exponitur singulis rebus praestare et antecellere eis, quin etiam solos ex omnibus erectos, solos dicendi facultate

praeditos esse, item his singulis Aristoteliis locis eadem haec inter humanum genus et bestias distinctio adhibetur, excellentia hominum indicatur, nos solos erectos esse, solos aciem oculorum et vocem proversas mittere affirmatur. Deinde res eae, quae ad hanc humani generis praestantiam demonstrandam afferuntur, magna ex parte cum statu erecto coniunguntur. Namque Xenophon inde effici explicat, ut ante nos prospiciamus et sursum aspectum convertamus. Pergit ad manuum utilitatem atque quamquam non expresse dicit hanc priorum membrorum figurationem ex statu erecto pendere, tamen cum haec manuum mentio proxime illa excipiat, consentaneum est putare hanc rationem animo eius obversatam esse. Aristoteles autem in ampla illa de hominis statu expositione, unde supra duos locos attuli, fusius explicat (IV 10, 686 a 25 sqq.), quomodo manuum conformatio ex erecto habitu consequatur. Atque clare huius cognationis nota apparet eo loco, quem ex tertio libro 662 b 17 supra transcripsi, quo in vultus officio etymologiis quibusdam illustrando adiungit propter statum erectum effici, ut ante nos prospiciamus et vocem edamus. Atqui hanc rem ut adderet, non postulavit vultus descriptio neque ad ea, quae hac operis parte tractantur, haec status erecti mentio proprie pertinet. Agit enim de capitis partibus singulis ita, ut iam descriptis auribus, oculis, naso, ore et horum membrorum partibus, de vultu disserat, post expositurus de cornibus. Neque etymologiis iis, quas adfert, hoc additamentum postulatum est; quod perspicuum est, si comparantur similia ea, quae exstant apud recentiores etymologicorum scriptores, qui constanter explicant *προσώπου* nomen eodem fere modo ex *πρόσω* et *ὄψ* vocibus, ita tamen, ut statum erectum nusquam commemorent[1]). Reliquum igitur est ut concludamus vultus notionem eam, quae in Aristotelis animo esset, cum statu erecto ita arte coniunctam esse, ut ultro neque eorum

---

[1]) Vide exempla quae adferuntur p. 18 adn.

quae exponeret natura coactus, rationem, quam inter eos intercedere crederet, protulerit.

De linguae humanae conformatione aliter sane res se habet. Hanc enim neque Xenophon neque Aristoteles dicit ex alia quadam earum quas laudant humanae constitutionis opportunitatum pendere vel cum aliqua earum connexam esse. Attamen eam ad idem argumentum pertinere satis apparet non solum ex eo, quod Xenophon eius mentionem cum ceteris illis coniungit, sed etiam quia in posterioribus illis expositionibus, quae hoc argumentum repetunt atque ex cognatis fontibus profecta esse videntur, eodem modo sermonis facultas una cum statu erecto et aspectu sursum converso celebratur; id quod ex his quae sequuntur elucebit.

Euryphamus ap. Stob. flor. 103, 27 (Meineke IV p. 10, 18): *τὸ μὲν γὰρ λόγω τυπωτικὸς ἦμεν καὶ καλῶν καὶ αἰσχρῶν νοατικὸς καὶ τὸ ὀρθῶς ἀπὸ γᾶς ἀνακεκλίσθαι καὶ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀποβλέπεν καὶ θεῶν τῶν ἀνωτάτω νοητικὸς ἦμεν, ταῦτα δὲ καὶ τᾶς ἐκ τῶν θεῶν ἐπικουρήσιος τέτευχε.*

Cic. de leg. I 9, 26 sq.: „Nam quom ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit et ad caeli quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit, tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret; nam et oculi nimis arguti, quem ad modum animo affecti simus, loquuntur, et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores, quoius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis.“

Philo de animal. 11 Auch. p. 127: „. . . similiter, ut mihi videor, universi homines videntes animantia loquela carentia terrae affixa et se solos sursum e terra erectos, oppositam putarunt eorum constructionem pulcriori parti,

quam ipsi prae se ferunt, parem cum corpore elationem efferentes contemnentesque (animalia) velut humi repentia."

Minuc. Fel. 17, 2: „Nos, quibus vultus erectus, quibus suspectus in caelum, quibus datus est sermo et ratio . . ."

Lactant. de ira dei 14, 2: „. . . idcirco enim consilio mente prudentia instructus est, ideo solus praeter ceteras animantes recto corpore ac statu fictus est, ut ad contemplationem parentis sui excitatus esse videatur, ideo sermonem solus accepit ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare maiestatem domini sui possit . . ."[1].

---

[1]) Gregorius Nyssenus in libro quem scripsit de hominis opificio sermonis facultatem cum manibus coniungit, fusiusque exponit fieri non potuisse, nisi his membris essemus instructi, ut ora nostra tam bene et apte ad voces articulandas conformarentur, c. VIII p. 148 D (Migne 44); cf. c. X p. 152 B.

εἰ γὰρ ἄμοιρος τῶν χειρῶν ὁ ἄνθρωπος ἦν, πάντως ἂν αὐτῷ καθ' ὁμοιότητα τῶν τετραπόδων καταλλήλως τῇ τῆς τροφῆς χρείᾳ διεσκεύαστο τοῦ προσώπου τὰ μόρια ὥστε προμήκη τε τὴν μορφὴν εἶναι καὶ ἐπὶ μυκτῆρας ἀπολεπτύνεσθαι καὶ προβεβλῆσθαι τὰ χείλη τοῦ στόματος τυλώδη καὶ σταθερὰ καὶ παχέα, πρὸς τὴν ἀναίρεσιν τῆς πόας ἐπιτηδείως ἔχοντα, ἐγκεῖσθαι δὲ τοῖς ὀδοῦσι τὴν γλῶσσαν ἄλλην τινὰ τοιαύτην, πολύσαρκον καὶ ἀντιτυπῆ καὶ τραχεῖαν καὶ συγκατεργαζομένην τοῖς ὀδοῦσι τὸ ὑπὸ τὸν ὀδόντα γινόμενον· ἢ ὑγράν τε καὶ διακεχυμένην κατὰ τὰ πλάγια οἵα ἡ τῶν κυνῶν τε καὶ τῶν λοιπῶν τῶν ὠμοβόρων ἐστί, τῷ καρχάρῳ τῶν ὀδόντων μεταξὺ τῶν διαστημάτων ἐνδιαρρέουσα. εἰ οὖν μὴ παρῆσαν αἱ χεῖρες τῷ σώματι, πῶς ἂν ἔναρθρος τούτῳ ἐνετυπώθη φωνή, τῆς κατασκευῆς τῶν κατὰ τὸ στόμα μορίων οὐ συνδιασχηματιζομένης πρὸς τὴν χρείαν τοῦ φθόγγου; ὡς ἐπάναγκες εἶναι ἢ βληχᾶσθαι πάντως ἢ μηκάζειν ἢ ὑλακτεῖν ἢ χρεμετίζειν τὸν ἄνθρωπον, ἢ βουσὶν ἢ ὄνοις βοᾶν παραπλήσιον ἤ τινα θηριώδη μηκηθμὸν ἀφιέναι. νυνὶ δὲ τῆς χειρὸς ἐντεθείσης τῷ σώματι εὔσχολόν ἐστι τὸ στόμα τῇ ὑπηρεσίᾳ τοῦ λόγου.

Et cum tota haec Gregorii de corporis partibus enarratio Stoicorum doctrinam redoleat, non recedit a probabilitate hanc quoque rationem ex illorum thesauris profectam esse. Neque abs re videtur locos nonnullos hic commemorare, quibus manus et loquendi facultas consociatae sunt, ut quibus maxime praestantia humani generis demonstretur.

Quae cum ita sint, ponere certe licet has de structura humana sententias, quae diversis in partibus scripti Aristotelii obveniunt, ex una atque eadem origine ortas propter rationem et amplitudinem eius quem scribebat libri dispersas esse. Vix enim fieri potuit, cum in opere copioso constructionem et externam et internam non solum hominis sed etiam avium, quadrupedum, ceterorum generum animalium penitus tractaret, ut sententiae si quae ex brevi et inchoato prioris auctoris scripto sumptae essent, ordinatim et continuo se exciperent.

Ac prorsus mihi videtur probabile etiam eam congruentiam, quam Aristoteles et Xenophon exhibent in sententiis eis, quas de superciliis et dentibus proferunt, nullam aliam habere explanationem nisi ut haec quoque ex eodem illo fonte profecta sint.

Sed hic fortasse cuipiam in mentem incidat locos hos Aristotelios potuisse ex illo Xenophonteo colloquio ipso omnes ductos esse. Ad hanc rem statuendam nonnihil adiumenti credo adferri posse ex eodem illo de vultu dicto III 662b 18: *τῶν δ' ἀνθρώπων καλεῖται τὸ μεταξὺ τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ αὐχένος πρόσωπον, ἀπὸ τῆς πράξεως αὐτῆς ὀνομασθέν, ὡς ἔοικεν· διὰ γὰρ τὸ μόνον ὀρθὸν εἶναι τῶν ζῴων μόνον πρόσωθεν ὄπωπε καὶ τὴν φωνὴν εἰς τὸ πρόσω διαπέμπει.* Dicitur enim hic, sicut apud Xenophontem, homines ante se pro-

---

Diodor. Sic. I 8,9: *καθόλου γὰρ πάντων τὴν χρείαν αὐτὴν διδάσκαλον γενέσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ὑφηγουμένην οἰκείως τὴν ἑκάστου μάθησιν εὐφυεῖ ζῴῳ καὶ συνεργοὺς ἔχοντι πρὸς ἅπαντα χεῖρας καὶ λόγον καὶ ψυχῆς ἀγχίνοιαν.*

Plutarch. de vit. aere alieno 830 A: *τοῦτ' ἐρωτᾷς, ἔχων χεῖρας, ἔχων πόδας, ἔχων φωνήν, ἄνθρωπος ὤν* . . . . 830 B *οὐ δανείζονται χελιδόνες, οὐ δανείζονται μύρμηκες, οἷς ἡ φύσις οὐ χεῖρας, οὐ λόγον, οὐ τέχνην δέδωκεν.*

Lactant. de opific. dei 3, 20: „. . . . non est tanti robur ac firmitas corporis, ut officio linguae careas, aut avium per aerem libera discursatio, ut manibus indigeas. Plus enim manus praestant quam levitas ususque pinnarum, plus lingua quam totius corporis fortitudo."

spicere, id quod statu eorum erecto efficiatur. Sed apud Aristotelem haec sententia ad vultus descriptionem pertinet atque hoc tantummodo consilio in argumentum inducitur, ut huius officium et nominis *προσώπου* etymologia explicentur[1]). Apud Xenophontem autem nulla fit vultus mentio. Et quamvis suspicari liceat rationem eam, quam Aristoteles inter vultum et statum hominum proponit, non fuisse Xenophonti ignotam atque etiam verisimile videatur hanc animo eius tum obversatam esse, cum diceret illa, *ἡ δὲ ὀρθότης προορᾶν πλέον ποιεῖ δύνασθαι,* tamen ex eis quae scripsit non potuerunt haec quae Aristoteles adfert deduci. Aliquid autem colligi licet ex eo historiarum animalium loco, qui huic expositioni respondet I 491 b 9: *τὸ δ' ὑπὸ τὸ κρανίον ὀνομάζεται πρόσωπον ἐπὶ μόνου τῶν ἄλλων ζῴων ἀνθρώπου· ἰχθύος γὰρ καὶ βοὸς*

---

[1]) Alteram illam, quam Aristoteles praebet, *προσώπου* vocabuli etymologiam ex *ὀπός* (vocis) nomine deductam nisi hoc loco non inveni. Prima autem, quam adfert, explicatio frequentissime apud posteriores etymologicorum scriptores occurrit: cf. Orion. (ed. Sturz. p. 129, 16) *πρόσωπον· ἀπὸ τοῦ πρόσω καὶ ἔμπροσθεν τοὺς ὦπας ἔχειν.*

Etym. Gud. (ed. Sturz. p. 481. 53) = Etym. Magn. *πρόσωπον, τοῦτ' ἔστιν ἀπὸ τοῦ πρόσω ἔμπροσθεν, ἀλλ' οὐκ ἐκ πλαγίου τοὺς ὦπας ἔχειν· διὸ καὶ μόνοις ἀνθρώποις ἐπικατηγορεῖται.*

Melet. *π. τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς* c. IX. (Cram. Anecdot. Oxon. III p. 77) *παρειὰς δὲ τοῦτο τὸ μέρος ὅλον καὶ πρόσωπον καλοῦσι· πρόσω γὰρ τοὺς ὦπας ἀλλ' οὐκ ἐκ πλαγίου φέρει. διὸ καὶ μόνοις ἀνθρώποις ἐπικατηγορεῖται· ἐπὶ γὰρ τῶν ἄλλων ζῴων πρόσωπον λέγειν οὐ θέμις.* Cf. Cic. de leg. I 9, 27.

Iohann. Maurop. etymolog. vs. 180 (ed. Reitzenstein, M. Ter. Varro u. Iohann. Maurop. v. Euchaita, Leipzig 1907, p. 10) *πρόσω πρόσωπον, αἱ δὲ παρειαὶ πάρα.*

Hanc etymologicorum explicationem, quamquam proxime ad Aristotelia illa accedit, non tamen ex Aristotelio libro ipso petitam esse vel ex eo apparet, quod etymologicorum scriptores *προσώπου* vocabulum ex *ὀπός* (vultus) nomine omnes derivant, Aristoteles autem ex verbo *ὄπωπε.*

οὐ λέγεται πρόσωπον[1]). Quae hic leguntur, in homine solo ex animantibus vultum esse, ita conveniunt cum eis, quae supra apud Xenophontem et Aristotelem animadvertimus, nos solos erectos esse, solos ante nos prospicere, solos loquendi facultate praeditos esse, ut vix dubitari possit ea ex eodem fonte originem habuisse et ad eandem de structurae humanae praestantia enarrationem pertinere. Atque haec cum a Xenophontea disputatione omnino absunt, tum ab Aristotele ipso excogitata esse propterea non est verisimile, quod *προσώπου* nomen, id quod hoc loco negat adhiberi licere, nisi ubi de homine disseritur, ipse eisdem in historiis nihilo setius in bestiis describendis saepius usurpat, de cynocephalo 502 a 20, de chamaeleonte 503 a 18, de astaco 526 b 4, de cervo 579 a 2, de animalibus universis 495 a 2. Quae discrepantia inde orta esse videtur, quod illam de vultu hominis sententiam a fonte transcripsit, consuetudinem autem suam dicendi non mutavit. Et quae hac ratione ex Aristotele ipso collegimus, altera ex parte optime etiam posteriorum auctorum testimoniis confirmantur, qui hanc laudationem structurae humanae repetiverunt. Hi enim una cum statu erecto, aspectu in coelum converso, sermonis facultate uno tenore vultum quoque celebrare consueverunt.

Cic. de leg. I 9, 26 sq.: „Nam quom ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit et ad caeli quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit, tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret; nam et oculi nimis arguti, quem ad modum animo affecti simus, loquun-

---

[1]) Si quis interrogat, quonam nomine ea corporis pars, quae in bestiis vultui respondet, hac ex sententia designanda sit, non habeo quod melius adferam quam hanc *ῥάμφους* vocabuli explicationem, quae Etym. Gud. p. 490, 32 tradita est: *ῥάμφος, ῥάγχος* (*ῥύγχος* credo scribendum esse) *καὶ πρόσωπον διαφέρει· πρόσωπον μὲν ἐπὶ ἀνθρώπου, ῥάγχος ἐπὶ τετραπόδων, ῥάμφος δὲ ἐπὶ πτηνῶν.*

tur, et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores, . . . Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis."

Ovid. Metamorph. I 84:
„Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
os homini sublime dedit, caelumque videre
iussit et erectos ad sidera tollere vultus."

Minuc. Fel. 17, 2: „Nos, quibus vultus erectus, quibus suspectus in caelum, quibus datus est sermo et ratio . . . . 17, 11 Ipsa praecipue formae nostrae pulchritudo deum fatetur artificem: status rigidus, vultus erectus, oculi in summo velut in specula constituti et omnes ceteri sensus velut in arce compositi."

Lactant. Div. inst. II 1, 14: „Nam cum ceterae animantes pronis corporibus in humum spectent, quia rationem ac sapientiam non acceperunt, nobis autem status rectus, sublimis vultus ab artifice deo datus sit . . . ."

Div. inst. VII 9, 11: „. . . . solum ex omnibus caeleste ac divinum animal esse hominem, cuius corpus ab humo excitatum, vultus sublimis, status rectus originem suam quaerit . . ."

de ira 20, 10: „Cumque illos deus artifex ore sublimi, statu recto figuratos ad contemplationem caeli et notitiam dei excitaverit, curvare se ad terram maluerunt et pecudum modo humi repere."

Hanc vultus laudationem, quae a Xenophontea illa disputatione abest, Aristoteliis autem libris continetur, ita ortam esse, ut post Xenophontis colloquium iam scriptum a nescio quo alio, qui inter eum et Aristotelem intercederet, ad cetera argumenta adderetur neque Aristoteli nisi per huius expositionem innotesceret, haud probabile

est. Hoc contra pro verisimili duco, ipsum Xenophontem brevi illa mentione, quam de facultate ante prospiciendi facit, tacite significare eandem hanc doctrinam iam eo tempore notam, Aristotelem autem et recentiores illos auctores pristinam sententiam memoriae tradidisse.

III.

Nunc inquiramus apud ceteros, qui ante Aristotelis aetatem fuerunt, scriptores sintne loci, qui eiusmodi qualem posuimus de structura humana expositionem testificari videantur vel ex ea explicari possint. Ac res singulas ordine pertractemus a statu erecto orsi. Hic Platonicis in libris bis perstringitur. In mytho enim, quem Aristophanes in Symposio narrat, postquam mirabilem formam hominum primitivorum, quaternis manibus cruribusque et binis vultibus instructorum, descripsit, hoc addit 190A, *ἐπορεύετο δὲ καὶ ὀρθὸν ὥσπερ νῦν, ὁποτέρωσε βουληθείη,* et paulo post 190D Iovem, cum duplices hos animantes secare et in binos homines dividere statuerit, sic facit loquentem: *βαδιοῦνται ὀρθοὶ ἐπὶ δυοῖν σκελοῖν.* Alter locus invenitur in Timaeo 90A, ubi Plato de tribus animi partibus disserens ac pars illa rationalis ne negligatur admonens, *τὸ δὲ περὶ τοῦ κυριωτάτου,* inquit, *παρ' ἡμῖν ψυχῆς εἴδους διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε, ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε, τοῦτο ὃ δή φαμεν οἰκεῖν μὲν ἡμῶν ἐπ' ἄκρῳ τῷ σώματι, πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρειν ὡς ὄντας φυτὸν οὐκ ἔγγειον ἀλλὰ οὐράνιον, ὀρθότατα λέγοντες· ἐκεῖθεν γάρ, ὅθεν ἡ πρώτη τῆς ψυχῆς γένεσις ἔφυ, τὸ θεῖον τὴν κεφαλὴν καὶ ῥίζαν ἡμῶν ἀνακρεμαννὺν ὀρθοῖ πᾶν τὸ σῶμα.* Sed hae sententiae notis propriis carent, quibus confisi eas ad fontem illum Aristotelis et Xenophontis communem referre possimus.

Certiorem autem rationem deprehendere mihi videor nonnullis locis Platonicis, quibus de aspectu sursum converso agitur, re illa quidem ab Aristotele praetermissa, a Xenophonte contra cum aspectu proverso consociata.

Ea enim, quae his locis dicuntur, homines imprimis solere sursum atque in coelum suspicere, reliqua autem animalia terram perpetuo intueri, omnino non sunt per se evidentia et manifesta, velut illa quae proferuntur de erecto statu atque ea membrorum priorum conformatione, quae ex eo consequitur. Atque vero contra responderi poterat vulgares homines haudquaquam continuo aspectum sursum conversum tenere, immo vero, nisi certa quadam causa commotos, hoc non facere, neque altera ex parte bestias praeter eas, quae ex terra pastum haberent (harum enim ex observatione sine dubio tota haec sententia orta est), solere perpetuo deorsum spectare. Hanc igitur sententiam, in qua proprius quidam atque commenticius color inhaereat, licet pro documento certae cuiusdam doctrinae habere et locos eos, quibus profertur, inter se cognatos esse putare. Neque hodie ac nobis solum haec res arcessita videtur. Antiquorum enim temporum posteriore parte, qua per Stoicos imprimis haec sententia fuit late pervulgata[1]), non defuerunt, qui eam deriderent; Galenus scilicet in tertio de usu partium corporis humani libro c. 3 (p. 133, 15 Helmreich) eam his castigat: *τὸ δ' οἴεσθαι διὰ τοῦτ' ὀρθὸν ἑστάναι τὸν ἄνθρωπον, ἵν' ἐς τὸν οὐρανὸν ἑτοίμως ἀναβλέπῃ καὶ λέγειν ἔχῃ „Ἀνταυγέω πρὸς Ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προσώποις“, ἀνθρώπων ἐστὶν οὐδέποθ' ἑωρακότων τὸν καλούμενον οὐρανοσκόπον ἰχθύν· ὡς οὗτός γε, κἂν εἰ μὴ βούλοιτο, πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀεὶ βλέπει, ἄνθρωπος δ', εἰ μὴ τὸν τράχηλον ἀνακλάσειεν εἰς τοὐπίσω, τὸν οὐρανὸν οὐκ ἄν ποτε θεάσαιτο. τουτὶ δὲ τὸ ἀνακλᾶν οὐ μόνῳ δήπουθεν ὑπάρχει τούτῳ τῷ ζῴῳ, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον καὶ τοῖς ὄνοις, ἵνα παραλείπω τοὺς μακροτραχήλους ὄρνιθας, οἷς οὐ μόνον ἄνω ῥᾳδίως, εἰ βουληθεῖεν, βλέπειν, ἀλλὰ καὶ πανταχόσε περιφέρειν ἑτοίμως ὑπάρχει τοὺς ὀφθαλμούς. τὸ δὲ μηδὲ Πλάτωνος αὐτοὺς ἀκηκοέναι λέγοντος, ὡς οὐ τοῦτ' ἔστι*

---

[1]) Cf. locorum collectionem, quae ad finem dissertationis adiungitur.

τὸ ἄνω βλέπειν, ὅταν τις ἑαυτὸν ὕπτιον ἀνακλίνειε χασμώμενος, ἀλλ' ὅταν οἶμαι τῷ νῷ τὴν τῶν ὄντων φύσιν ἐπισκοπῆται, δεινῶς ὀλίγωρον.

Platonis quae huc pertinent verba sunt in septimo de re publica libro p. 529 A. Hic Glauco astronomiae studium laudat: *παντὶ γάρ μοι*, inquit, *δοκεῖ δῆλον ὅτι αὕτη γε ἀναγκάζει ψυχὴν εἰς τὸ ἄνω ὁρᾶν καὶ ἀπὸ τῶν ἐνθένδε ἐκεῖσε ἄγει*, Socrates autem monet non oculos sed mentem ei exercendam esse, qui animum excolere velit. Quo loco Platonem ad hanc de aspectu hominum sententiam spectare non prorsus improbabile esse putaverim. Cum autem hoc non satis liqueat, alium locum adfero, quo magis est in aperto quid iudicandum sit. In nono scilicet de re publica libro p. 586 A Plato corporis egestatem voluptatemque cum animi affectibus comparans, hos esse et superiores et veritati propiores ac veriorem efficere voluptatem affirmat. Homines autem, qui corporis appetitibus serviant, his describit: *οἱ ἄρα φρονήσεως καὶ ἀρετῆς ἄπειροι, εὐωχίαις δὲ καὶ τοῖς τοιούτοις ἀεὶ ξυνόντες, κάτω, ὡς ἔοικε, καὶ μέχρι πάλιν πρὸς τὸ μεταξὺ φέρονταί τε καὶ ταύτῃ πλανῶνται διὰ βίου, ὑπερβάντες δὲ τοῦτο πρὸς τὸ ἀληθῶς ἄνω οὔτε ἀνέβλεψαν πώποτε οὔτε ἠνέχθησαν, οὐδὲ τοῦ ὄντος τῷ ὄντι ἐπληρώθησαν, οὐδὲ βεβαίου τε καὶ καθαρᾶς ἡδονῆς ἐγεύσαντο, ἀλλὰ βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες καὶ κεκυφότες εἰς γῆν καὶ εἰς τραπέζας βόσκονται χορταζόμενοι καὶ ὀχεύοντες* .... Hac igitur in imagine homines cum bestiis eodem modo atque apud Xenophontem sunt collati; hae pronae esse terramque inspicere dicuntur, illos autem sursum suspicere oportere praedicatur. Itaque haec imago ab eadem origine orta esse atque Xenophontea sententia videtur.

Eadem notio etymologiis quoque quibusdam illustratur, quas Socrates in Cratylo dialogo proponit. Nomen enim *οὐρανοῦ* ita explanat 396 B: *ἡ δὲ αὖ ἐς τὸ ἄνω ὄψις καλῶς ἔχει τοῦτο τὸ ὄνομα καλεῖσθαι, οὐρανία, ὁρῶσα τὰ ἄνω.* Atque eandem fere sententiam nomini *ἀστραπῆς* subicit

409 C: *ἡ δὲ ἀστραπή, ὅτι τὰ ὦπα ἀναστρέφει, ἀναστρωπὴ ἂν εἴη, νῦν δὲ ἀστραπὴ καλλωπισθεῖσα κέκληται* [1]).

[1]) Non est a re hoc loco intueri varias, quae traditae sunt, *ἀνθρώπου* nominis etymologias. Quarum una hoc in dialogo 399 C profertur: *σημαίνει τοῦτο τὸ ὄνομα ὁ ἄνθρωπος, ὅτι τὰ μὲν ἄλλα θηρία ὧν ὁρᾷ οὐδὲν ἐπισκοπεῖ οὐδὲ ἀναλογίζεται οὐδὲ ἀναθρεῖ, ὁ δὲ ἄνθρωπος ἅμα ἑώρακεν — τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τὸ ὄπωπε — καὶ ἀναθρεῖ καὶ λογίζεται τοῦτο ὃ ὄπωπεν.* Haec explanatio saepe apud recentiores etymologicorum scriptores obvenit. Vide Orionem (p. 16, 10 Sturz): *ἄνθρωπος, κατὰ Πλάτωνα παρὰ τὸ ἀθρεῖν καὶ νοεῖν ἃ δὴ ὄπωπε καὶ εἶδε, τῶν ἀλόγων μὴ λογιζομένων καὶ προνοουμένων. οὐ γὰρ ἂν ἰχθῦς εἰς κύρτον εἰσῆλθεν, ὁρῶν ἄλλον κρατούμενον.* Similia sunt apud Meletium (Cramer, Anecdot. Ox. III p. 7) et in Etymolog. Magn. Eadem explicatio nonnullis quoque locis exstat, quos C. Praechter benevole mihi monstravit:

Syrian. in Herm. comm. II p. 48, 5 (Rabe): . . . *ὡς ἄνθρωπός τε ἀπὸ τοῦ ἀναθρεῖν ἃ ὄπωπεν καὶ ἵππος ἀπὸ τοῦ ἵεσθαι τοῖς ποσί.*

Eliae Proleg. phil. c. 2 (Comm. in Arist. Gr. XVIII 1 p. 2, 5): *οὕτω γοῦν ἵππου ἀγαθὸν τὸ ἵτην εἶναι καὶ πορευτικὸν τοῖς ποσίν, ἀνθρώπου δὲ ἀγαθὸν τὸ ἀναθρεῖν ἃ ὄπωπεν· μόνος γὰρ τῶν ζῴων ἄνθρωπος ἀναμιμνήσκεται τῶν ἀλόγων μνήμην ἐχόντων μόνον* . . .

Davidis Proleg. phil. c. 8 (Comm. in Arist. Gr. XVIII 2. p. 23, 28: . . . *οἷον ἄνθρωπος λέγεται παρὰ τὸ ἀναθρεῖν καὶ ἀναλογίζεσθαι ἃ ὄπωπε, καὶ πάλιν ἵππος λέγεται παρὰ τὸ ἵπτασθαι τοῖς ποσίν.*

Manuel Moschopulus *περὶ σχεδῶν* p. 95 ed. Lutet. 1545: *ἀπὸ τοῦ ἀναθρεῖν ἤτοι ἀναλογίζεσθαι ἃ ὤπωπεν ἤτοι ἑώρακεν.*

Cf. Iohann. Maurop. vs. 129: *σώζει δ᾽ ἀναθρῶν ὧν ὄπωπε τοὺς τύπους.* Eodem quoque pertinere videntur haec, quae Ambrosius scribit Examer. VI 8, 46: „multo aptius anima vel homo latine vel graece *ἄνθρωπος* dicitur, alterum ab humanitate, alterum ab intuendi habens vivacitate."

Iam vero hac ipsa ex voce singulae eae, quas Xenophon laudat, humani corporis excellentiae enucleantur. Aspectus enim sursum conversus his laudatur:

Orion. (p. 174, 1 Sturz): *ἄνθρωπος λέγεται διὰ τὰ ἄνω θρεῖν, ἤγουν ὁρᾶν.*

Ammon. in Porphyr. Isag. (Comm. in Arist. Gr. IV 3 p. 57, 16): *ἄνθρωπός ἐστι τὸ δυνάμενον ἄνω ἀθρεῖν ἢ* (id quod cum locis supra allatis congruit) *ἄναθρεῖν ἃ ὄπωπεν ἢ τὸ ἄνωθεν ἔχον τοὺς ὦπας.*

Etym. Gud. (p. 58, 9 Sturz): *ἄνθρωπος, διὰ τὸ ἄνω θρεῖν τὸν ὦπα, ἤγουν ὁρᾶν. πάντων γὰρ τῶν κτηνῶν κάτω βλεπόντων μόνος ἄνθρωπος ἄνω βλέπει.* Cf. similia in Etym. Magn.

De etymologiis, quae proferuntur in Cratylo F. Duemmler illa in commentatione inde a p. 129 uberius agit et

---

Iohann. Mauropus vs. 128: *ἄνω βλέπει γάρ, οἷα μοῖρα τῶν ἄνω.*

Lact. Div. inst. II 1. 16: „Hinc utique *ἄνθρωπον* Graeci appellaverunt, quod sursum spectet." Cf. Inst. epit. 20 (25) 9. Isidor. Orig. XI 5.

his autem status erectus,

Etym. Magn.: *ἢ παρὰ τὸ ἄνω ῥέπειν, ἀνάρροπός τις ὤν.* = Melet. p. 7.

Iohann. Maurop. vs. 130: *τὸ σχῆμα δ' ὀρθός ἐστι τῶν ζῴων μόνος.*

Etym. Gud. (p. 58, 11 Sturz): *ἢ διὰ τὸ ὀρθῶς περιπατεῖν.*

Orion. (p. 174, 1 Sturz): *ἢ πάλιν τὸ † ἀνορθροῖ περιπατεῖν.*

atque his sermonis facultas,

Orion (p. 16, 15 Sturz): *οἱ δὲ παρὰ τὸ ἔναρθρον ἔχειν ἔπος, τουτέστι φωνήν.*

Melet. p. 7: *τὸ δὲ ἄνθρωπος ὄνομα παρὰ τὸ ἔναρθρον ἔχειν φωνήν· τῶν ἄλλων ζῴων ἁπάντων ἀνάρθρως καὶ ἀσημάντως φωνούντων.*

Etym. Magn.: *ἢ παρὰ τὸ ἔναρθρον ἔχειν τὴν ὄπα, τουτέστι τὴν φωνήν.*

Haec eadem, si Thesauro Graeco (ed. Steph. 1572, I p. 452 A; ed. Didot. 1831, I[2] p. 785 B) fidem habeas, apud Theophrastum inveniuntur; sed locum mihi non contigit ut invenirem. Huc quoque spectat ea, quae *μέροπος* vocis etymologia tradita est:

Schol. ad Il. 250: *μερόπων ἀνθρώπων] μεμερισμένην τὴν φωνὴν ἐχόντων, ὡς πρὸς σύγκρισιν τῶν ἄλλων ζῴων, ὅ ἐστι μεριζομένην εἰς συλλαβὰς καὶ ἔναρθρον ἐχόντων τὴν ὄπα, τουτέστι τὴν φωνήν.*

Etym. Gud. (p. 388, 1 Sturz): *μέροψ ὁ ἄνθρωπος, συνώνυμον. γίνεται παρὰ τὸ μείρω τὸ μερίζω, ὁ μεμερισμένην ἔχων τὴν ἔναρθρον ὄπα, ἤγουν τὴν φωνήν, ὥσπερ σύγκρισιν τῶν ἄλλων ζῴων· ἐπειδὴ ἐὰν λαλῇ ὁ ἄνθρωπος μερίζεται εἰς συλλαβάς.* Cf. similia in Etym. Magn.

Iohann. Maurop. vs. 131 sqq.:

ὁ δ' αὐτὸς οὗτος καὶ μέροψ κεκλημένος
ἔναρθρα φωνεῖ καὶ λαλεῖ λόγου μέρη.
μέροψ μερίστην ὡς λόγος φωνὴν φέρει.

Hanc autem *μέροπος* etymologiam inveniri nonnullis locis una cum Platonica illa *ἀνθρώπου* explicatione consociatam Praechter me monuit. Vide Ammon. de interpr. (Comm. in Arist. Gr. IV 5 p. 38, 9): ... *ὥσπερ τὸ ἄνθρωπος ὄνομα καὶ τὸ μέροψ καὶ τὸ βροτὸς σημαίνει ταὐτόν, ἀλλὰ τὸ μὲν καθ' ὃ ἀναθρεῖ*

certam philosophiae doctrinam ex eis elucere ratus, haec cum doctrinis Heracliti, Anaxagorae, Diogenis Apolloniatae quo modo conveniat, explicat. Id quidem apparet etymologias, quas attuli, in illam, quam pervestigamus, humanae structurae descriptionem optime quadrare. Et similem illam etymologiam cum reputo, qua Aristoteles aspectum hominis proversum illustrat, suspicor et res ipsas et etymologias ex eodem fonte haustas esse.

Unus tantum restat qui adferatur Platonicus locus. Etenim in Timaei dialogi extrema parte non ita multum post illas de erecto hominis corpore sententias, quae supra iam suo loco sunt commemoratae, ceterae animantes praeter viros quo modo exstiterint philosophus Locrensis exponit. Et postquam mulieres ex viris qui priore in vita ignavos se praebuissent factas esse narravit, aves autem ex insontibus illis quidem sed inanibus stultisque

---

ἃ ὄπωπε, τὸ δὲ καθ᾽ ὃ μεριστὴν ἔχει φωνήν, τὸ δὲ κατὰ τὴν εἰς γένεσιν τῆς ψυχῆς πτῶσιν καὶ τὸν ἐντεῦθεν μολυσμόν.

et Simplic. in Aristot. categor. (Comm. in Arist. Gr. VIII p. 39, 17): *Ἐπιστῆσαι δὲ ἄξιον, ὅτι καὶ ἐν τοῖς κυρίως πολυωνύμοις, ὡς ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου, ὅταν ὁ αὐτὸς μέροψ καὶ βροτὸς λέγηται, ἕκαστον τῶν ὀνομάτων κατ᾽ ἄλλην καὶ ἄλλην τοῦ ἀνθρώπου φύσιν ἀποδίδοται, τὸ μὲν κατὰ τὸ ἀναλογιστικόν, τὸ δὲ κατὰ τὴν τῆς διαλέκτου κατὰ τὰ ἔθνη διαφοράν, τὸ δὲ κατὰ τὸ θνητὸν τῆς συστάσεως . . .*

Harum etymologiarum eam, qua *ἀνθρώπου* nomen ex ratiocinandi facultate deducitur, ex Platonico Cratylo repetitam esse plane apparet. Sed altera illa explicationum series, qua aspectus sursum conversus, erectus status, vox articulata respiciuntur, non satis liquet utrum recentiore aetate sit inventa ad confirmandam veterem illam de humanae structurae praestantia enarrationem an iam initio cum ea coniuncta sit. Hanc autem ad opinionem ut inclines, suadeant fortasse similia illa, quae in Cratylo dialogo proferuntur, quae eadem Plato Tim. 91 E respexisse videtur, atque cognatae illae *προσώπου* nominis etymologiae, quas apud Aristotelem animadvertimus. Neque a probabilitate recedit Xenophontem, cum § 12 scriberet illa *ἀρθροῦν τε τὴν φωνήν,* ad eam *ἀνθρώπου* nominis etymologiam spectavisse, quam scriptores etymologicorum verbis *ἔναρθρον ἔχειν τὴν ὄπα* adferunt.

viris, quadrupedum originem hoc modo depingit 91 E: *τὸ δ' αὖ πεζὸν καὶ θηριῶδες γέγονεν ἐκ τῶν μηδὲν προσχρωμένων φιλοσοφίᾳ μηδὲ ἀθρούντων τῆς περὶ τὸν οὐρανὸν φύσεως πέρι μηδέν, διὰ τὸ μηκέτι ταῖς ἐν τῇ κεφαλῇ χρῆσθαι περιόδοις, ἀλλὰ τοῖς περὶ τὰ στήθη τῆς ψυχῆς ἡγεμόσιν ἕπεσθαι μέρεσιν. ἐκ τούτων οὖν τῶν ἐπιτηδευμάτων τά τ' ἐμπρόσθια κῶλα καὶ τὰς κεφαλὰς εἰς γῆν ἑλκόμενα ὑπὸ συγγενείας ἤρεισαν* .... De bestiarum capitibus et membris prioribus ad terram vergentibus quae dicit, ea ad hominis statum, qui coelum contemplatur manusque habet, manifesto spectant. Atque etiam verbum quod usurpat *ἀθρεῖν* etymologiam illam *ἀνθρώπου* (Crat. 399 C) respicere atque in memoriam revocare videtur.

Sed ad aliam rem ut transeamus, nulla pars humani corporis est ab Aristotele maiore laude celebrata quam manus. Has enim dicit 687a 20 non esse ad unum solum munus fungendum constitutas sed quasi instrumentum pro instrumentis, quo omnes artes exerceamus, omnia quibus indigemus suppeditemus. Hoc uno argumento querelas eorum refutat, qui hominem deterrime omnium animalium constructum esse affirmaverint. Nomen quoque prodit eius qui primus, ut videtur[1]), haec membra quantum valerent ad comparandas structuras hominum et bestiarum recte aestimavit 687a 7: *Ἀναξαγόρας μὲν οὖν φησι*, inquit, *διὰ τὸ χεῖρας ἔχειν φρονιμώτατον εἶναι τῶν ζῴων ἄνθρωπον* (Diels, Vorsokr. 46 A 102). Quam sententiam Aristoteles valde impugnat. Neque enim hominem propterea prudentissimum animalium esse contendit quod manibus sit praeditus, sed e contrario quia prudentissimus sit, manibus esse praeditum. Anaxagorae vero sententiae quae fuerit significatio ac verane nec depravata ab Aristotele sit reddita, ex hac mentione, brevi et exili, non satis liquet. Ex eo autem tempore ratio et manus consociatae, ut in

---

[1]) Iam Xenophanes manus commemorat, ut quibus potissimum humanum genus a ceteris animalibus differt (Diels 11 B 15):

ἀλλ' εἰ χεῖρας ἔχον βόες ⟨ἵπποι τ'⟩ ἠὲ λέοντες
ἢ γράψαι χείρεσσι καὶ ἔργα τελεῖν ἅπερ ἄνδρες, κτλ.

quibus hominis praestantia cernatur, saepe occurrunt[1]). Hunc iam in modum Socrates in Xenophonteo colloquio rem pertractat, quippe qui non solum in statu erecto laudando

[1]) Cf. Zeller, Philos. d. Griech. I ^{5}, Leipzig 1892, p. 1011, Gomperz, Griech. Denk. I, Leipzig 1895, p. 177. Sententia optime est illustrata versu hexametro, quem Syncellus adfert (Chron. 149 C Dindorf, Corp. Scrip. Hist. Byz. I p. 282 = Diels, Vorsokr. 48, 6): *ἑρμηνεύουσι δὲ οἱ Ἀναξαγόρειοι τοὺς μυθώδεις θεοὺς νοῦν μὲν τὸν Δία, τὴν δὲ Ἀθηνᾶν τέχνην, ὅθεν καὶ τὸ „χειρῶν ὀλλυμένων ἔρρει πολύμητις Ἀθήνη.“* Ex libris posteriorum scriptorum haec exempla adfero: Diodor. Sic. I 8. 9: . . . *εὐφυεῖ ζῴῳ καὶ συνεργοὺς ἔχοντι πρὸς ἅπαντα χεῖρας καὶ λόγον καὶ ψυχῆς ἀγχίνοιαν.*

Dio Chrysost. X 16: *οὐχ ὁρᾷς τὰ θηρία ταῦτα καὶ τὰ ὄρνεα, ὅσῳ ζῇ τῶν ἀνθρώπων ἀλυπότερον . . . καίτοι οὔτε χεῖρας ἔχοντα οὔτε ἀνθρώπου διάνοιαν;*

Gal. de usu part. corp. hum. I 2, p. 2, 11 Helmreich: *ἀνθρώπῳ δέ, σοφὸν γὰρ τοῦτο τὸ ζῷον καὶ μόνον τῶν ἐπὶ γῆς θεῖον, ἀντὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ἀμυντηρίων ὅπλων χεῖρας ἔδωκεν . . . .*

Lactant. de opif. dei 7, 7 sq.: „In quadrupedibus autem idem opifex contextum spinae a summo capite deductum longius extra corpus eduxit et acuminavit in caudam . . . Ubi autem ratio et manus est, tam non est id necessarium quam indumentum pilorum.“

Poetae quoque iam antiquissimis temporibus manus cum prudentia ita copulare soliti sunt, ut haec membra, tralatione poetica adhibita, ad corporis vires significandas usurparentur ac mentis facultatibus opponerentur. Exempla exhibent Pind. Nem. VIII 14: *χειρὶ καὶ βουλαῖς ἄριστος.*

Timocr. Rhod. frg. 6 (Hiller-Crusius):

ᾧ ξυμβουλεύειν χὲρς ἄπο, νοῦς δὲ πάρα.

Eurip. frg. Chrysipp. 842 (Nauck ^{2}):

γνώμης σόφισμα καὶ χέρ' ἀνδρείαν ἔχων.

Eurip. frg. Belleroph. 291:

ὦ παῖ, νέων τοι δρᾶν μὲν ἔντονοι χέρες
γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων

Ion. frg. 63:

βουλὴ μὲν ἄρχει, χεὶρ δ' ἐπεξεργάζεται.

Agathon. frg. 27:

γνώμη δὲ κρεῖσσόν ἐστιν ἢ ῥώμη χερῶν.

Nec videtur a probabilitate abhorrere hac ipsa poetica et figurata collocatione effectum esse ut Anaxagoras perciperet eam coniunctionem, quae esset inter hanc priorum membrorum conformationem atque humani generis mentis praestantiam.

manus commemoret, sed etiam postquam eodem tenore hominem mentis quoque facultatibus multum antecellere ostendit, haec subito exclamet § 14: *οὐ γὰρ πάνυ σοι κατάδηλον ὅτι παρὰ τἆλλα ζῷα ὥσπερ θεοὶ ἄνθρωποι βιοτεύουσι, φύσει καὶ τῷ σώματι καὶ τῇ ψυχῇ κρατιστεύοντες; οὔτε γὰρ βοὸς ἂν ἔχων σῶμα, ἀνθρώπου δὲ γνώμην ἐδύνατ᾽ ἂν πράττειν ἃ ἐβούλετο, οὔθ᾽ ὅσα χεῖρας ἔχει, ἄφρονα δ᾽ ἐστί, πλέον οὐδὲν ἔχει.* Nec solum in commentariis rem perstringit; sed eadem etiam apparet ratio in quarti Cyropaediae libri c. 3 [1]. Hoc enim loco narratur Cyrum, cum copiae equestres ei opus essent, in contione militum auctorem fuisse, ut pedites equestri militia insuescerent atque hoc modo equitatus compararetur; quam rem Chrysantam studiose suadentem ostendisse quantas facultates eques in se coniungeret Centaurisque quo modo sit similis § 17 sq.: *ὃ δὲ δὴ μάλιστα δοκῶ ζῴων, ἔφη, ἐζηλωκέναι ἱπποκενταύρους, εἰ ἐγένοντο, ὥστε προβουλεύεσθαι μὲν ἀνθρώπου φρονήσει, ταῖς δὲ χερσὶ τὸ δέον παλαμᾶσθαι, ἵππου δὲ τάχος ἔχειν καὶ ἰσχύν, ὥστε τὸ μὲν φεῦγον αἱρεῖν, τὸ δ᾽ ὑπομένον ἀνατρέπειν, οὐκοῦν πάντα κἀγὼ ταῦτα ἱππεὺς γενόμενος συγκομίζομαι πρὸς ἐμαυτόν. προνοεῖν μέν γε ἕξω πάντα τῇ ἀνθρωπίνῃ γνώμῃ, ταῖς δὲ χερσὶν ὁπλοφορήσω, διώξομαι δὲ τῷ ἵππῳ, τὸν δ᾽ ἐναντίον ἀνατρέψω τῇ τοῦ ἵππου ῥύμῃ* . . . . Videmus igitur his quoque in argumentationibus hominem prudentia animi manuumque virtute praestare, ut equos celeritate viribusque, pro certo haberi; atque ad eandem rem recurrit, cum commoditates enumerat equitis, qui hominis mente suae saluti provideat, viri manibus arma gerat, equi celeritate hostem, ut res postulat, assequatur modo, modo effugiat.

Linguae usum Aristoteles uberius pertractat multisque animalium exemplis varias eius formas illustrat. Ex qua expositione eam sententiam delectam supra attuli, quae ad Xenophontis rationem propius accedit. De duplici humanae linguae usu agit, quam eandem rem simi-

[1]) Id quod Joël l. l. I. p. 144 adnotat.

liter iam paulo ante 659 b 34 attigit: *ὥσπερ γὰρ τὴν γλῶτταν οὐχ ὁμοίαν τοῖς ἄλλοις ἐποίησεν ἡ φύσις, πρὸς ἐργασίας δύο καταχρησαμένη, καθάπερ εἴπομεν ποιεῖν αὐτὴν ἐπὶ πολλῶν, τὴν μὲν γλῶτταν τῶν τε χυμῶν ἕνεκεν καὶ τοῦ λόγου, τὰ δὲ χείλη τούτου θ' ἕνεκεν καὶ τῆς τῶν ὀδόντων φυλακῆς.* Atque in altero de anima libro 420 b 16 ita scribit: *ἤδη γὰρ τῷ ἀναπνεομένῳ καταχρῆται ἡ φύσις ἐπὶ δύο ἔργα, καθάπερ τῇ γλώττῃ ἐπί τε τὴν γεῦσιν καὶ τὴν διάλεκτον, ὧν ἡ μὲν γεῦσις ἀναγκαῖον (διὸ καὶ πλείοσιν ὑπάρχει), ἡ δ' ἑρμηνεία ἕνεκα τοῦ εὖ* . . . [1]). Eadem sententia in Xenophonteo loco elucere videtur I 4, 12. Sed linguae in gustando usum cum priore in disputationis parte § 5 commemoraverit, hic non persequitur sed postquam eum verbis *γλῶττάν γε πάντων τῶν ζῴων ἐχόντων* indicavit, statim de hominis lingua ad sermonem rite formandum idonea disputat. Differentia autem quaedam conspicitur inter ea quae Xenophon et Aristoteles afferunt; nam ille affirmat hominem solum ex animantibus lingua ad voces articulandas apta instructum esse, Aristoteles autem, quamvis hominem maxime omnium ita constitutum esse dicat, tamen aves quoque quasdam sermone aliquantum saltem uti addit 660 a 35: *καὶ χρῶνται τῇ γλώττῃ καὶ πρὸς ἑρμηνείαν ἀλλήλοις πάντες μέν, ἕτεροι δὲ τῶν ἑτέρων μᾶλλον, ὥστ' ἐπ' ἐνίων καὶ μάθησιν εἶναι δοκεῖν παρ' ἀλλήλων.* Fontis communis sententiam uter auctor accuratius servaverit facile est intellectu. Vix enim dubitabitur, quin ille, qui hominem solum erectum, solum vultu ornatum esse docuerit, idem etiam eum solum sermone instructum esse voluerit; quam sententiam cum parum iustam esse cognovisset, Aristotelem initia loquendi facultatis ea, quae aliis quoque in animalibus discerni possunt, commemorasse.

Praeter Platonem et Xenophontem, alius est eiusdem fere aetatis scriptor, qui de humana constitutione similem

---

[1]) Similia sunt quae Plato in Timaeo dialogo 75 D, E de duplici usu oris eiusque partium adfert.

adferat enarrationem ac manifesto cognatam, quamvis gradus illius propinquitatis non sit omni ex parte in aperto[1]). Isocrates enim in tertia oratione § 5 sqq. his laudibus artem dicendi celebrat.

τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις οἷς ἔχομεν οὐδὲν τῶν ζῴων διαφέρομεν, ἀλλὰ πολλῶν καὶ τῷ τάχει καὶ τῇ ῥώμῃ καὶ ταῖς ἄλλαις εὐπορίαις καταδεέστεροι τυγχάνομεν ὄντες· ἐγγενομένου δ' ἡμῖν τοῦ πείθειν ἀλλήλους καὶ δηλοῦν πρὸς ἡμᾶς αὐτούς, περὶ ὧν ἂν βουληθῶμεν, οὐ μόνον τοῦ θηριωδῶς ζῆν ἀπηλλάγημεν ἀλλὰ καὶ συνελθόντες πόλεις ᾠκίσαμεν καὶ νόμους ἐθέμεθα καὶ τέχνας εὕρομεν, καὶ σχεδὸν ἅπαντα τὰ δι' ἡμῶν μεμηχανημένα λόγος[2]) *ἡμῖν ἐστιν ὁ συγκατασκευάσας. οὗτος γὰρ περὶ τῶν δικαίων καὶ τῶν ἀδίκων καὶ τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν ἐνομοθέτησεν· ὧν μὴ διαταχθέντων οὐκ ἂν οἷοί τ' ἦμεν οἰκεῖν μετ' ἀλλήλων κτλ.*[3]) Hoc quoque loco

---

[1]) Non satis mihi liquet haec orationis laudatio utrum originem habuerit ex ea ipsa quam tractavimus humanae constitutionis defensione an ex altera illa expositione, cuius de reliquiis in Platonico Protagora 320 C sqq. traditis postea expositurus sum. Ad Platonicum illum locum hanc Isocrateam enarrationem prope accedere notavit H. Gomperz (Isokr. u. d. Sokratik. Wien. Stud. 27, 1905 p. 187; 28, 1906 p. 5).

[2]) Hoc loco dicendi facultatem *λόγου* nomine significari plane apparet ex eis quae sequuntur. Quod idem nomen cum Graeci ad rationis quoque facultatem notandam adhibere solerent, nonnumquam distinctio quae est inter has notiones obscurata est, velut in epistula ea, quae rhetoricae ad Alexandrum quae vocatur praeposita est, modo de oratione, modo de ratione agitur ([Aristot.] 1420 sq.). Ad vitandam hanc ambiguitatem Stoicos primos constat *λόγον προφορικόν* et *λόγον ἐνδιάθετον* his nominibus distinxisse (cf. Zeller III 1³ p. 67, Ueberweg I¹⁰ recogn. Praechter, Berlin 1909, p. 260); deinde alias quoque philosophorum familias hanc consuetudinem dicendi ascivisse (cf. Zeller III 2⁴, p. 423, Ueberweg I¹⁰, p. 315, Rainfurt, Zur Quellenkritik v. Galens Protrep., Freiburg 1905, p. 4). De Stoicorum doctrina, qui *λόγον* universum habuerunt pro propria humani generis nota, qua id a bestiis separaretur, cf. Zeller III 1³ p. 192 et K. Praechter, Hierokl., Leipzig 1901, p. 72 sq.

[3]) Cum his Isocrateis magnam similitudinem exhibent illi loci, quos E. Norden congessit (Jbb. f. cl. Phil. Suppl. XVIII 1892 p. 303 sqq.), quibus homines exponitur corporis viribus valde a bestiis superari nec superiores esse nisi mentis facultatibus: [Galen.]

hominem cum animalibus comparatum videmus atque ut Xenophon in Cyropaedia IV 3; 17, 18, 21 illum celeritate, viribus, sensibus acutis ab equis superari eorumque praesidio egere affirmat, sic Isocrates celeritate, viribus, aliis commodis animalia antecellere concedit. At humani generis praestantiam non cum manibus coniungit, id quod cum consilio artis rhetoricae celebrandae minime convenisset, neque intellegentiam eximie laudat, sed sermoni primas dat, ut mentis interpreti. Quam rem eisdem fere verbis iterat in oratione de bonorum permutatione scripta § 253 sq. atque in Panegyrico quoque § 48 perstringit.

Quod argumentum si quis apud posteriores auctores persequi velit, Aristoteles similia exhibet in primo Politicorum libro 1253a 10: . . . *λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζῴων. ἡ μὲν οὖν φωνὴ τοῦ λυπηροῦ καὶ ἡδέος ἐστὶ σημεῖον, διὸ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει ζῴοις· μέχρι γὰρ τούτου ἡ φύσις αὐτῶν ἐλήλυθεν, ὥστε αἰσθάνεσθαι τοῦ λυπηροῦ καὶ ἡδέος καὶ ταῦτα σημαίνειν ἀλλήλοις. ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστι τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερόν, ὥστε καὶ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον. τοῦτο γὰρ πρὸς τἆλλα ζῷα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν.*

Ex Romanis vero, qui oratoris artem laudaverint, Cicero scribit de or. I 8, 32: „Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus. Quam ob rem quis hoc non iure miretur summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat?“ Quintilianus autem inst. or. II 16, 12: „Et hercle deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem separavit a ceteris, quae quidem mortalia essent, animalibus, quam dicendi facultate etc.“

Protrep. c. 9 sqq., Plut. frg. ap. Stob. flor. 53, 14 = frg. 24 p. 129 (Bern.), Phaedr. Append. 2, Dion. Chrys. IX 16 sqq., Philo, de post. Caini 46 I, p. 256 M, de Abrah. 45, II p. 38, de prov. II § 20, Sen. de benef. II 29, 1, epist. 124, 22.

Ut iam breviter comprehendam ea, quae hac disquisitione sunt adhuc collecta, sententiae illae de animalium constructione, quas Xenophon in colloquio inter Socratem et Aristodemum habito adfert, eaedem in Aristotelio quoque scripto, quod est de partibus animalium, magna ex parte obveniunt. Quarum illa quidem, qua supercilia cum parietis corona comparantur, tam insignem proprietatis notam prae se fert, ut dubitari non possit quin ea ad utrumque auctorem ex eadem origine fluxerit. Vidimus autem alias complures ex his sententiis ita inter se colligatas et implicatas esse, ut eas habeas pro partibus eiusdem expositionis in Aristotelis scripto propter eius amplitudinem et dispositionem disiunctis et dispersis. Atque quoniam Aristoteles nonnihil diligentiae in explicandum vultus usum et naturam impendit, Xenophon autem hanc corporis partem non commemorat, Stagirites videtur ex Xenophontea disputatione non hausisse. Quibus ex rationibus haud parvam puto confirmationem accedere opinioni eorum, qui sentiunt hanc Xenophonteam disputationem ex priore quodam fonte ductam esse. Praeterea Platonicis in dialogis vidimus easdem humanae structurae opportunitates laudatas esse et invenimus cognatam quandam expositionem in Isocratea, quae Nicocles appellatur, oratione. Quae vestigia earundem sententiarum apud scriptores, qui Xenophontis fuerunt aequales, non solum ad illorum iudicium refutandum valent, qui voluerunt hanc disputationem non a Xenophonte, sed a nescio quo Aristotelis sectatore conscriptam esse, sed etiam testimonium dare videntur de fonte illo, unde Xenophontem hausisse coniectatum est. Naturam autem et genus huius fontis artius determinare supersedendum est. Non enim ex eis, quae indagavimus, vestigiis cerni potest utrum liber fuerit litteris iam exaratus, quem Xenophon et Aristoteles per lectionem cognoverint, an oratio in sophistarum vel philosophorum scholis sermone vulgata neque vero litteris mandata, dum Xenophon et Aristoteles sententias quasdam in scriptis suis comprehenderunt.

IV.

De altera ea disputatione, qua Xenophon providentiam divinam tractat (IV 3), minus adhuc disserui. Hoc enim in colloquio, quo de mundo universo agitur, hominis constitutio breviter modo, ut pars eius, perstringitur. Sed cum argumenta, quae sunt hoc loco allata, ex priore quodam fonte ducta esse magna cum probabilitate colligi possit, quin etiam tempus ipsum, quo ille fons exstiterit, propemodum determinare possimus, totaque haec disputatio cum eis, quae altero illo colloquio (I 4) legimus, similis atque etiam cognata esse videatur, non est a re alienum hanc quoque diligentius intueri. Et cognatio ea, quae inter haec colloquia intercedit, multifariam a viris doctis animadversa est. Nam sicut Krohn et alii, qui illis temporibus criticam artem exercuerunt, simili iudicio utrumque spurium esse pronuntiaverunt, ita Duemmler non dubitavit et hoc et illud ad unum fontem referre (Akad. p. 98), atque etiam Joël, quamvis sibi persuaderet ea, quae his colloquiis exstant, diversis ex enarrationibus provenisse ac principio ad diversas sententias illustrandas adhibita esse, tamen censuit sine ulla dubitatione utrumque ex libris unius atque eiusdem scriptoris profectum esse (Der echte u. der xenophont. Sokr. II p. 381). Etenim argumenta quae proferuntur sunt magna ex parte eadem. Nam utroque loco de sensibus (I 4, 5 et IV 3, 11), sermone (I 4, 12 et IV 3, 12), intellegentia et artis inventis (I 4, 13 et IV 3, 11) similiter disputatum est, atque eodem modo et hic et illic divinatio ut divinum munus laudatur (I 4, 15 et IV 3, 12) et numen, quamvis humanis oculis non videatur, tamen admodum esse demonstratur (I 4, 9 et IV 3, 13 sq.).

Idem quoque consilium utroque in colloquio cernitur. Non enim propter sophisticum concertationis studium nec disputandi gratia sed ad certam quandam doctrinam redarguendam haec argumenta adhibentur. Nam Aristodemus § 4 contendit non intellegentia sed casu quodam animalia esse creata atque postea § 10,

hac opinione a Socrate refutata, deos esse illos quidem concedit, negat autem eos hominibus consulere. Eadem de sententia in altera quoque disputatione agitur. Nam quamvis Euthydemus ipse de rebus divinis dubitare non dicatur, tamen hoc quoque loco rationes eorum, qui negent deos hominibus consulere, valde impugnantur. Neque vero sententiae modo respiciuntur sed mores etiam et consuetudines vivendi, quae cum eis conveniant. Nam Aristodemus nec sacrificia dis facere nec divinatione uti sed eos, qui haec faciant, irridere dicitur § 2. Atque etiam confutatis a Socrate quae de fortuita illa origine rerum opinatus est, neglegentiam suam rituum religionis excusare conatur § 10: *ἐκεῖνο (τὸ δαιμόνιον) μεγαλοπρεπέστερον ἡγοῦμαι ἢ ὡς τῆς ἐμῆς θεραπείας προσδεῖσθαι.* Eadem quoque ratio in Euthydemi verbis elucet § 15: . . . *ὅτι μὲν οὐδὲ μικρὸν ἀμελήσω τοῦ δαιμονίου, σαφῶς οἶδα· ἐκεῖνο δὲ ἀθυμῶ, ὅτι μοι δοκεῖ τὰς τῶν θεῶν εὐεργεσίας οὐδ' ἂν εἷς ποτε ἀνθρώπων ἀξίαις χάρισιν ἀμείβεσθαι.* Socrates autem, oraculo Delphico laudato, eum admonet, ut sacrificiis, quae leges postulant, deos colat. Ac divinationis contemptionem ut improbet, hanc potissimum inter deorum munera utroque in colloquio celebrat.

Plane igitur consilium apparet religionis fovendae atque argumentis ex physica ratione desumptis tamquam fulciendae. Auctorem autem doctrinae hoc modo usurpatae Xenophontem ipsum fuisse viri docti plerumque censuerunt. At quamquam hoc cum indole eius maxime consentire facile concedo, tamen hanc rem a fonte, quo uteretur, non abhorruisse propterea puto, quod alia quaedam similis atque cognata providentiae defensio ex simili religionis neglegentia cietur. Hanc autem defensionem, quae est Euripidearum Supplicum versibus 195—213 a Theseo prolata, Duemmler in appendice libri commemorat p. 278 atque ad Xenophontis enarrationem prope accedere notat[1]). Sed similitudo illa quam esset me-

[1]) Cf. quoque Duemmler, Proleg. zu Platons Staat p. 11 = Kl. Schr. (Leipz. 1901) I p. 161.

morabilis et in singulis rebus conspiceretur nec satis percepisse videtur neque quantum valeret ad tempus constituendum quo fons Xenophontis exsisteret[1]). Etenim in hac expositione Euripidea, brevi et contracta, quae exempla exstant, cum Xenophontis illo colloquio tantopere congruunt, ut non erret qui utrumque auctorem eandem rem, alterum soluta oratione, alterum poetica expressisse dicat, id quod erit manifestum, si versus Euripideos cum Xenophonteis qui eis respondent locis comparaveris.

Eur. Suppl. 201—213.	Xen. comm. IV 3 §§ 11, 12.
αἰνῶ δ' ὃς ἡμῖν βίοτον ἐκ πεφυρμένου καὶ θηριώδους θεῶν διεσταθμήσατο, πρῶτον μὲν ἐνθεὶς σύνεσιν, εἶτα δ' ἄγγελον γλῶσσαν λόγων δούς, ὥστε γιγνώσκειν ὄπα,	*τὸ δὲ καὶ λογισμὸν ἡμῖν ἐμφῦσαι, ᾧ περὶ ὧν αἰσθανόμεθα λογιζόμενοί τε καὶ μνημονεύοντες καταμανθάνομεν, ὅπῃ ἕκαστα συμφέρει, καὶ πολλὰ μηχανώμεθα, δι' ὧν τῶν τε ἀγαθῶν ἀπολαύομεν καὶ τὰ κακὰ ἀλεξόμεθα; τὸ δὲ καὶ ἑρμηνείαν δοῦναι, δι' ἧς πάντων τῶν ἀγαθῶν μεταδίδομέν τε ἀλλήλοις διδάσκοντες καὶ κοινωνοῦμεν καὶ νόμους τιθέμεθα καὶ πολιτευόμεθα;*
τροφήν τε καρποῦ	§ 5. *τὸ δ' ἐπεὶ τροφῆς δεόμεθα, ταύτην ἡμῖν ἐκ τῆς γῆς ἀναδιδόναι καὶ ὥρας ἁρμοττούσας πρὸς τοῦτο παρέχειν, αἳ ἡμῖν οὐ μόνον ὧν δεόμεθα πολλὰ καὶ παντοῖα παρασκευάζουσιν, ἀλλὰ καὶ οἷς εὐφραινόμεθα; . . .*

[1]) L. Radermacher, qui post Duemmlerum rem in transcursu perstrinxit, hanc rationem bene cognovit. Eurip. u. die Mantik. Rh. Mus. 53, 1898, p. 505 sq. Cf. quoque F. A. Paley, ed. Suppl. (London 1888) adn. ad vs. 205, et E. Norden, Jbb. f. klass. Phil. Suppl. XIX 1893 p. 415 adn.

τῇ τροφῇ τ' ἀπ' οὐρανοῦ
σταγόνας ὑδρηλάς, ὡς τά
γ' ἐκ γαίας τρέφῃ
ἄρδῃ τε νηδύν·

πρὸς δὲ τοῖσι χείματος
προβλήματ', αἶθρον ἐξ-
αμύνασθαι θεοῦ,
πόντου τε ναυστολήμαθ',
ὡς διαλλαγὰς
ἔχοιμεν ἀλλήλοισιν ὧν πέ-
νοιτο γῆ.
ἃ δ' ἔστ' ἄσημα κοὐ σαφῶς
γιγνώσκομεν,
ἐς πῦρ βλέποντες καὶ κατὰ
σπλάγχνων πτυχὰς
μάντεις προσημαίνουσιν
οἰωνῶν τ' ἄπο.

§ 6. τὸ δὲ καὶ ὕδωρ ἡμῖν παρέχειν οὕτω πολλοῦ ἄξιον, ὥστε συμφύειν τε καὶ συναύξειν τῇ γῇ καὶ ταῖς ὥραις πάντα τὰ χρήσιμα ἡμῖν, συντρέφειν δὲ καὶ αὐτοὺς ἡμᾶς καὶ μιγνύμενον πᾶσι τοῖς τρέφουσιν ἡμᾶς εὐκατεργαστότερά τε καὶ ὠφελιμώτερα καὶ ἡδίω ποιεῖν αὐτά, καὶ ἐπειδὴ πλείστου δεόμεθα τούτου, ἀφθονέστατον αὐτὸ παρέχειν ἡμῖν;

§ 12. τὸ δὲ καί, ᾗ ἀδυνατοῦμεν τὰ συμφέροντα προνοεῖσθαι ὑπὲρ τῶν μελλόντων, ταύτῃ αὐτοὺς ἡμῖν συνεργεῖν διὰ μαντικῆς τοῖς πυνθανομένοις φράζοντας τὰ ἀποβησόμενα καὶ διδάσκοντας ᾗ ἂν ἄριστα γίγνοιτο;

Tutelae contra frigora, quas Euripides versibus 207, 208 commemorat, hoc commentariorum loco sunt omissae; rem autem a fonte Xenophontis non alienam fuisse ex verbis alterius capitis § 13 colligi potest: *ποία δὲ ψυχὴ τῆς ἀνθρωπίνης ἱκανωτέρα προφυλάττεσθαι ἢ λιμὸν ἢ δίψος ἢ ψύχη ἢ θάλπη . . .*; Exemplo quod insequitur, *πόντου τε ναυστολήμαθ' κτλ.*, in plurimis commentariorum libris nihil respondet[1]). Sed cum in fonte, ut videtur, et de medicinae

[1]) Solus codex Meermannianus, qui excerpta ex commentariis continet, post ignis mentionem § 7, haec praebet: *τὸ δὲ καὶ*

usu reperto (I 4, 13) et de equo domito (Cyr. IV 3, 16 sqq.) disputatum sit, navem quoque inventam commemoratam esse haud improbabile est[1]).

Sed non solum exempla ea, quae sunt utroque loco ad divinam benignitatem demonstrandam adhibita, mirum in modum inter se consentiunt, sed etiam mores qui improbantur simillimi sunt. Nam ut Aristodemus in colloquio, ita in fabula quoque Adrastus propter divinationem neglectam reprehenditur. Postquam enim Theseus et Adrastus alternis sermonibus, ille de causis belli interrogavit, hic oraculum ab Apolline datum filiarumque conubia hoc auctore facta atque expeditionem adversus Thebas ad

---

ἀέρα ἡμῖν ἀφθόνως οὕτω πανταχοῦ διαχῦσαι, οὐ μόνον πρόμαχον καὶ σύντροφον ζωῆς, ἀλλὰ καὶ πελάγη περᾶν δι᾽ αὐτοῦ καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἄλλος ἀλλαχόθι καὶ ἐν ἀλλοδαπῇ στελλόμενος πορίζεσθαι, πῶς οὐχ ὑπὲρ λόγον; Ἀνέκφραστον. Quae verba, corrupta sane atque ab omnibus fere viris doctis pro spuriis habita, tamen cum illis Euripideis versibus tantam congruentiam exhibent, ut quaeri liceat, num illa condemnatio satis sit perpensa.

[1]) His versibus Euripidem Prometheum Aeschyleum imitatum esse Eduardus Norden censuit propter similitudinem, quem animadvertit inter Supplicum versus 209 sq. et Promethei vss. 469 sq. (467 Weil) ac Supplicum vss. 211 sqq. et Promethei vss. 487 sqq. (485 Weil) (Jbb. f. class. Phil. Suppl. XIX 1893 p. 415 Anm.). Addi potuit versum Euripideum 202, *βίοτον ἐκ πεφυρμένου καὶ θηριώδους* ad Aeschylea illa (449 sq.), *τὸν μακρὸν βίον ἔφυρον εἰκῇ πάντα*, proxime accedere et praeterea Euripidem bene Prometheum novisse ex Palamedis frg. 578 (Nauck [2]) colligi posse, ubi versus 3 ex Promethei versu 460 repetitus esse videtur. Porro haec Thesei oratio multis rebus cum cantico Antigones Sophocleae (332—364) congruit. Sed quamvis dictio Euripidea sit memoria Aeschyleae fabulae tamquam colorata atque exempla, quibus usus est, fuerint magna ex parte aliis quoque de vitae cultioris primordiis expositionibus communia, tamen eius enarratio a reliquis eo differt, quod ille has res ad benignitatem divinam contra obtrectatores defendendam adhibuit, id quod horum ab animis longe alienum fuit. Qua in re idem exhibet consilium, quod in Xenophonteis illis colloquiis vidimus.

Polynicem restituendum susceptam narravit, haec insequuntur:

155 *ΘΗ. μάντεις δ' ἐπῆλθες ἐμπύρων τ' εἶδες φλόγα;*
ΑΔ. οἴμοι· διώκεις μ' ᾗ μάλιστ' ἐγὼ 'σφάλην.
ΘΗ. οὐκ ἦλθες, ὡς ἔοικεν, εὐνοίᾳ θεῶν.
ΑΔ. τὸ δὲ πλέον, ἦλθον Ἀμφιάρεώ γε πρὸς βίαν.

Hac vaticinationis neglegentia excitatus Theseus profert illum de numinis beneficiis sermonem, qui in divinationis arte celebranda exitum habet. Adrastum autem vacillantem ac modo signis deorum obtemperantem, modo ea spernentem ita castigat:

216 *ἀλλ' ἡ φρόνησις τοῦ θεοῦ μεῖζον σθένειν*
ζητεῖ, τὸ γαῦρον δ' ἐν φρεσὶν κεκτημένοι
δοκοῦμεν εἶναι δαιμόνων σοφώτεροι.
ἧς καὶ σὺ φαίνῃ δεκάδος οὐ σοφὸς γεγώς,
ὅστις κόρας μὲν θεσφάτοις Φοίβου ζυγεὶς
ξένοισιν ὧδ' ἔδωκας ὡς ζώντων θεῶν,

— — — — — — — — —

229 *ἐς δὲ στρατείαν πάντας Ἀργείους ἄγων,*
μάντεων λεγόντων θέσφατ', εἶτ' ἀτιμάσας
βίᾳ παρελθὼν θεοὺς ἀπώλεσας πόλιν . . .

Hanc similitudinem qui inspexerit, vix dubitabit, quin certa quaedam ratio inter has enarrationes intercedat. Quam rem si altius exquirere conamur, nihil est quod veri similius videatur quam utrumque auctorem idem opus, sive librum, sive orationem, reddidisse, Xenophontem amplius et copiosius, Euripidem breviter multisque exemplis omissis. At fortasse cuipiam in mentem incidet suspicio supervacaneam nos agere operam, qui cognationem eam ut explicemus, quam his in enarrationibus percepimus, tertiam quandam et hodie perditam expositionem animo fingamus, quae tamquam parens earum fuerit. Neque enim a probabilitate abhorrere versus Euripideos illos Xenophonti ipsi innotuisse, qui inde orsus et caput rerum sumens, aliis quoque exemplis additis, disputationem suam

conscripserit. Haec sententia quominus probetur, hoc obstat, quod ipsa Euripidea expositio, mirum in modum fabulae inserta, neque ad tragoediae argumentum neque ad personarum sermones est accommodata ac vix aliter comprehendi potest atque quae ad notum quoddam et illis temporibus pervulgatum opus spectaverit[1]). Namque Thesei oratio initium capit ex sententia certorum quorundam adversariorum, qui miseram humani generis sortem vituperaverint:

ἄλλοισι δὴ 'πόνησ' ἁμιλληθεὶς λόγῳ
τοιῷδ'. ἔλεξε γάρ τις ὡς τὰ χείρονα
πλείω βροτοῖσίν ἐστι τῶν ἀμεινόνων·
ἐγὼ δὲ τούτοις ἀντίαν γνώμην ἔχω . . .

Quam querelam ut refellat vel consopiat, orator beneficia varia deorum enumerat. Sed in eis, quae Adrastus dixit, nihil omnino est quod hunc in modum reprehendi possit. Neque enim miserias suas deploravit nec deorum curam benevolentiamque in dubium vocavit; res ipsae tantum quomodo evenissent, narravit. Atque quamquam divinationis laudes, quae in extremo huius providentiae defensionis membro continentur, ad eius neglegentiam oraculi plane spectant, non ideo magis liquet, quomodo reliqua, quae anteierunt, exempla ad eius sermonem sint apta. Sin autem ponimus Euripidem tragoediam componentem atque Adrasti fortunas narrantem, cum animadverteret ingenium eius, parum deorum monitis oboediens, simile esse atque id, quod in opere multum in populi sermonibus versato fuit reprehensum, ut blandam illam

---

[1]) Thesei argumentum, a fabulae actione abhorrens, ex priore quodam fonte sumptum esse Duemmler exposuit (Proleg. zu Platons Staat p. 19 sq. = Kl. Schrift. I p. 172 sq.). Quae autem insuper coniecit, sententias eas ad rem publicam administrandam pertinentes, quae hac in fabula inveniuntur, eodem ex fonte fluxisse, haec neque explorata nec verisimilia mihi videntur. Cf. praeterea Wilamowitz, Der Mütter Bittgang, Berlin 1899, Einl. p. 28.

delectationem in audientium animis excitaret, quae oritur ex recognitione notarum rerum repente et de improviso occurrentium, argumenta quaedam ex illo opere desumpta in Thesei oratione intexuisse, res iam clara est et perspicua[1]). Cum autem Supplices Euripideas constet circa annum a. C. 420 doctas esse, opus illud, quod hac in fabula attingitur, non multo ante hoc tempus esse editum pro probabili habendum est.

Et praeterea si nobis licet coniectandi via progressis propter cognationem eam, quae intercedit inter duas illas de providentia disputationes Xenophonteas, alteram quoque illam et ampliorem constitutionis humanae descriptionem, quae in sermone cum Aristodemo habito exstat, ad eundem fontem referre, non putabimus, ut nonnulli viri docti, auctorem et inventorem illius humanae structurae laudationis Xenophontis fuisse aequalem sed potius eum iam quinto saeculo floruisse.

V.

Eius autem nomen, qui hanc expositionem invenit, etiamsi non possum certo constituere neque ex eis, quae

---

[1]) Hoc cum Euripidis consuetudine et componendi more maxime convenire apparet ex multis eius fabularum locis, quos cum veteres scriptores, tum nostrae aetatis viri docti ad priorum philosophorum aut sophistarum sententias rettulerunt. Anaxagoreae enim rationes his respectae esse putantur: Eurip. frg. 783 (Nauck) = Diels Frg. Vorsokr. 46 A 1; Eurip. Or. 4 sqq. = Diels[2] 46 A 20a; Eurip. frg. 910 = Diels 46 A 30, cf. Ueberweg, Gesch. d. Phil. I[10] recens. Praechter p. 74; Eurip. frg. 964 = Diels 46 A 33; Eurip. Alcest. 903 sqq. = Diels 46 A 33; Eurip. Melanipp. frg. 484 = Diels 46 A 62; Eurip. Hel. 1 sqq. et Arch. frg. 228 = Diels 46 A 91; Eurip. Chrysipp. frg. 839 = Diels 46 A 112, cf. Ueberweg I[10] p. 74; Eurip. Scyr. frg. 682, cf. Diels[2] p. 706, adn. ad. p. 312, 13. Atque ad Diogenis Apolloniatae doctrinam spectare videntur Troad. vss. 884 sqq. (Diels 51 C 2. cf. Ueberweg I[10] p. 35), quos eosdem Sextus Empiricus adv. math. VII 128 ad Heracliti quandam sententiam rettulit (Diels 12 A 16). Ex nomine autem libri Protagorei, qui *καταβάλλοντες* appellatus est, Usener Baccharum vss. 199 sq. explanavit (Rh. Mus. 23 p. 161. Diels[2] 74 C 4).

hac de re sunt propositae, opinionibus ullam cognovi, quam pro explorata habeam, tamen non erit inutile perpendere opiniones illas et indicia quorsum tendere mihi videantur explicare. Ac Duemmler quidem eam Socratis imaginem, quam in his colloquiis videmus, physicam doctrinam non aspernantis sed colentis atque in suum usum vertentis, Antisthenicas rationes exhibere censuit p. 126, argumenta tamen ipsa, quae proferuntur, quamvis ad Cynicam doctrinam bene convenientia, ex Antisthenis ipsius libris hausta esse affirmare noluit. Cum enim sibi persuasisset Prodicum multis rebus Antistheni viam praemunivisse, facile fieri potuisse opinatus est p. 156, ut Xenophon, non aliter atque alio loco (II 1, 21 sqq.), quo Aristippum Cynicis quidem rationibus refutare voluisset, non Antisthenicum Herculem, sed Prodiceum illum antiquiorem auxilio vocaret, his quoque in colloquiis quae Cynicum prodere viderentur, re vera illi sophistae deberet. Atque cum Galenus (de virt. phys. II 9 = Diels, Vorsokr. 77 B 4) librum quendam Prodiceum commemoraret, qui *περὶ φύσιος ἀνθρώπου* scriptus est, coniecturam quam Welcker proposuit (Kl. Schrift. II p. 523) secutus, hoc ex fonte statuit haec argumenta ducta esse. Quibus in rationibus nixus est imprimis in mentione, quam Aristophanes de Prodico Avium vs. 692 facit. Namque in eis avium generis laudibus, quae insequuntur vss. 708 sqq., consilium percipere sibi videtur has ipsas, quas Xenophon reddidit, divinae providentiae laudes imitandi atque in ludibrium vertendi: aves enim gloriari se maximis beneficiis humanum genus donare, quae primum anni tempora declarent, deinde divinationis artem constituant; atqui harum rerum alteram esse primum, alteram extremum membrum Xenophonteae illius laudationis dis benignis tributae. At tota haec argumentatio magis lubrica est et incerta quam cui sine dubitatione fidem habeamus. Neque est consensio ea, quam Duemmler notat inter beneficia ab avibus praedicata atque illa, quae apud Xenophontem legimus, tam insignis, ut credamus finitimam rationem

inter hos locos intercedere. Nam haec exempla, ex anni temporibus discretis et divinationis arte ducta, non sunt Xenophonteae illius expositionis propria, sed iam in Aeschyli Prometheo vss. 454 sqq. 484 sqq. commemorantur, ac vero videntur una cum aliis multis exemplis[1]) fuisse variis antiquissimis de initio cultioris vitae enarrationibus communia. Ac divinationis certe tota notio tam arte cum avibus coniuncta est et haec ars ipsa per se tam apta est quam aves inter merita sua commemorent, ut dubitari possit, num poeta his versibus ad alium auctorem omnino spectet. Recte igitur Joël I p. 161 et Nestle[2]) p. 68 hanc opinionem improbant, ut quae fundamento firmo careat. Nec magis placet coniectura, quam Nestle substituit, qui similitudine illa adductus, quam intercedere credit inter Euripideos illos versus ac mythum, qui in Platonis dialogo Protagora p. 320 sqq. narratur, ex sophista Abderitico opinatur hanc expositionem haustam esse. Etenim in mytho illo, quamvis similiter de primis artibus inventisque agatur, tamen de divina erga homines voluntate cernitur prorsus diversa sententia atque in his benignitatis divinae laudibus.

Ad Joelii nunc rationes venio, qui cum in primo volumine illius de vera Socratis persona libri[3]) iudicium de Duemmleri commentatione tulisset, negavit non solum Anaxagorae, Diogenis, Prodici sed etiam Antisthenis sententias in disputationibus illis Xenophonteis redditas esse; in appendice tamen eiusdem libri p. 548 vestigia compluria Antisthenicarum cogitationum iis inesse censuit. In altero autem volumine, quod octo post annis editum est, sententia haud leviter mutata, haec colloquia pro veris et certis Antisthenicae doctrinae exemplis habet. Ac disputationem cum Euthydemo habitam cum ea laudatione solis com-

[1]) Cf. p. 38 adn. 1.

[2]) W. Nestle, Eurip. der Dichter d. griechischen Aufklärung, Stuttgart 1901.

[3]) Der echte und der xenophontische Sokrates I p. 147 sqq.

parans, quae est in Dionis Chrysostomi tertia oratione § 73–82, locum utrumque ex eodem Antisthenis libro provenisse contendit p. 380 sqq., sed pristinam vim et sensum, quem Dio conservasset, Xenophontem, dis pro sole ut auctoribus beneficiorum substitutis, mutavisse.

Sed qui similitudinem eam insignem recordabitur, quam intercedere vidimus inter hanc expositionem Xenophonteam et Euripideum illum sermonem, non habebit Antisthenem pro inventore huius doctrinae sed potius eam priore iam saeculo pervulgatam esse sentiet. Praeterea id quod vir doctus censet non deos in opere eo, quod Xenophon reddidisset, sed solem ut auctorem beneficiorum et commodorum vitae laudatum esse, minime est ad persuadendum idoneum. Nam primum in sexto Cyropaediae libro 2, 29, quo haec res eadem repetitur, deus non aliter atque in commentariis adducitur, qui lente ac paulatim temporum commutationes efficiat, neque omnino de sole disseritur: *διδάσκει δὲ καὶ ὁ θεός, ἀπάγων ἡμᾶς κατὰ μικρὸν ἔκ τε τοῦ χειμῶνος εἰς τὸ ἀνέχεσθαι ἰσχυρὰ θάλπη ἔκ τε τοῦ θάλπους εἰς τὸν ἰσχυρὸν χειμῶνα.* Atque eodem modo in oratione illa Euripidea, quam multis necessitudinis vinculis cum hac Xenophontis disputatione coniunctam esse iam vidimus, Theseus dei cuiusdam benignitati beneficia ea quae adfert attribuit (Supplic. 201 sq.):

αἰνῶ δ᾽ ὃς ἡμῖν βίοτον ἐκ πεφυρμένου
καὶ θηριώδους θεῶν διεσταθμήσατο . . .

Neque vero facile credas aliquas mundi partes, quas Xenophon cum sole ut opera deorum consociat et adaequat, Dio autem omnino non commemorat, lunam scilicet, stellas, imbres, ignem, in eo fonte, quo ille usus esset, subiectas esse soli, ut quae ex eo fluxissent vel eius motu temperatae essent. Quibus ex rebus imbres saltem Euripideo quoque in sermone inter beneficia numinis illius enumerati sunt. Praeterea ad Dionea illa explicanda hae rationes neque admodum adiuvant neque necessariae sunt. Immo vero aliam et propiorem rationem

inter hanc expositionem atque Xenophonteam illam interfuisse pro verisimili habeo. Nam quamquam apparet Dionem multorum praecursorum vestigia pressisse ac solis ea imago quam adhibet frequentissime nobis occurrit[1]) apud Stoicos et posteriores rhetores, tamen hac in re elaboranda eum ad veterem illam Xenophonteam expositionem adiisse non possum non suspicari. Hoc enim indicatur non modo sententiis universis sed etiam oratione ipsa et multis verbis, quae eadem utroque loco inveniuntur. Cf. Dion. § 74 *ὁπόσων ἄνθρωποι δέονται* et Xen. § 3 *ὧν οἱ ἄνθρωποι δέονται*; Dion. § 77 *ἐγγυτέρω προσιών* et Xen. § 8 *ἐγγυτέρω προσιέναι*; Dion. § 78 *ἐπεὶ δ' αὖ πάλιν . . . πάλιν ἄπεισιν* et Xen. § 8 *καὶ ὅταν αὖ πάλιν ἀπιών*; Dion. § 80 *λανθάνει συνεθίζων μὲν ἡμᾶς διὰ τοῦ ἦρος ὑπενεγκεῖν τὸ θέρος* et Xen. § 9 *οὐκ ἂν ὑπενέγκοιμεν οὔτε τὸ καῦμα, οὔτε τὸ ψῦχος . . . ὥστε λανθάνειν ἡμᾶς εἰς ἑκάτερα τὰ ἰσχυρότατα καθισταμένους*; Dion. § 82 *τὴν ἐκείνου δύναμιν καὶ φιλανθρωπίαν* et Xen. § 7 *Ὑπερβάλλει, ἔφη, καὶ τοῦτο φιλανθρωπίᾳ* (Cf. J. Wegehaupt, de Dione Chrys. Xenophont. sectatore p. 13).

Hanc igitur de his Dioneis sententiam, quam doctissimi viri[2]) saeculis prioribus prompserunt et nostris quoque temporibus complures[3]) confirmant, temere dimittere, nisi

---

[1]) Iam Euripidem Phoen. vs. 546 laborem solis laudavisse C. Praechter notat (Berl. ph. Woch. 1893 p. 617). Cf. idem Byz. Zeitschr. 14 (1905) p. 480. Multa exempla ex Stoicis et rhetoribus adferunt G. Barner, De regentium hom. virt. (Marburg 1889) pp. 26, 38, 46, 49 et P. Fischer, De Dion. Chrys. or. tert. comp. (Bonn 1901) p. 38 sq. Cf. H. Binder, Dio Chrys. u. Posidon. (Tübingen 1905) p. 78. Eam harmoniae descriptionem, quae apud Dionem § 76 legitur, ad [Petr. Magist.] 9 et Marc. Aur. VI 11 prope accedere docet E. Thomas, Quaest. Dion. (Leipz. 1909) p. 58.

[2]) Ruhnken, adn. ad Xen. Mem. IV 3 (p. 231 Dind.). Geel, Dion. Chrys. Olympiac. (Leyden 1840) p. 154.

[3]) P. Hagen, Quaest. Dion. (Kiel 1887) p. 30. J. Wegehaupt, De Dione Chrys. Xen. sect. (Göttingen 1896) pp. 13, 73. H. Binder l. l. p. 78 sq., etsi hoc loco vestigia Stoicorum atque imprimis Posidonii apparere credit, tamen Dionem Xenophontea quoque illa

argumentis validis compellimur, haud sani esse consilii mihi quidem videtur.

Neque aliter iudicandum est de sententia, quam Joël de altero colloquio p. 473 profert. Nam argumentum disputationis arbitratur ex Antisthenis Hercule compilatum esse, nec tamen vere esse redditum sed depravatum ac distortum; Antisthenem enim non summo deo ipsi, sicut Xenophontem, opificis munus tribuisse sed Prometheo; quam Cynicam enarrationem Platonem deinceps in illo mytho, qui in Protagora dialogo p. 320 sqq. narratur, imitatum in ludibrium convertisse. Quae omnia, ut admodum sunt ingeniosa, ita ad persuadendum vix idonea. Sed de ratione, quae inter mythum Platonicum et colloquium Xenophonteum intercedat, postea expositurus sum.

Reliquum est ut indicia aliqua commemorem, quae usque ad auctorem statuendum non illa quidem valeant, sed bene tamen quadrare videantur in certam quandam earum, quas cognovimus, disciplinarum. Duemmler enim magno cum acumine ostendit p. 111 sqq. sententias complures, quae his in colloquiis proferuntur, cum Diogenis Apolloniatae doctrina proxime conspirare. Nam hunc scriptorem eadem fere de natura et gubernatione rerum sensisse, quae apud Xenophontem legimus, apparet ex fragmento, quod Simplicius adfert phys. 151, 28 (Diels Vorsokr. 51 B 3): *οὐ γὰρ ἄν, φησίν, οἷόν τε ἦν οὕτω δεδάσθαι ἄνευ νοήσιος, ὥστε πάντων μέτρα ἔχειν, χειμῶνός τε καὶ θέρους καὶ νυκτὸς καὶ ἡμέρας καὶ ὑετῶν καὶ ἀνέμων καὶ εὐδιῶν· καὶ τὰ ἄλλα, εἴ τις βούλεται ἐννοεῖσθαι, εὑρίσκοι ἂν οὕτω διακείμενα ὡς ἀνυστὸν κάλλιστα* . . . Docet igitur Diogenes, non aliter

---

disputatione usum esse non vult negare. In contrariam partem iudicant A. Sonny, Ad Dion. Chrys. Analect. (Kiev. 1896) p. 164 et J. Dahmen, Quaest. Xen. et Antisthen. (Marburg 1897) p. 50, qui haec ex Antisthene hausta esse opinantur nec vero hanc sententiam novis argumentis confirmant, atque E. Thomas, l. l. p. 58, qui congruentiam eam, quae est inter Dionem et Xenophontem, ita vult explicare, ut Xenophon multum „apud Stoicos in deliciis fuerit“.

atque ille quem quaerimus auctor, mundum esse ratione quadam et intellectu instructum, deinde hunc rerum ordinem esse optimum et aequum; quin etiam exempla ipsa, quae adfert, anni tempora scilicet, noctis dieique vicissitudines, imbres ventique, haec omnia eadem in Xenophontis disputatione nobis occurrunt.

Bene quoque Duemmler cernit Diogenem excellentiam generis humani cum statu erecto coniunxisse. Nam in epitome illa variarum de sensibus opinionum, quam Theophrastus composuit, has Diogenis sententias legimus § 44 (Diels, Vorsokr. 51 A 19): *φρονεῖν δ', ὥσπερ ἐλέχθη, τῷ ἀέρι καθαρῷ καὶ ξηρῷ· κωλύειν γὰρ τὴν ἰκμάδα τὸν νοῦν· διὸ καὶ ἐν τοῖς ὕπνοις καὶ ἐν ταῖς μέθαις καὶ ἐν ταῖς πλησμοναῖς ἧττον φρονεῖν· ὅτι δὲ ἡ ὑγρότης ἀφαιρεῖται τὸν νοῦν, σημεῖον, διότι τὰ ἄλλα ζῷα χείρω τὴν διάνοιαν· ἀναπνεῖν τε γὰρ τὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἀέρα καὶ τροφὴν ὑγροτέραν προσφέρεσθαι.* Supplendum esse videtur homines propterea quod erecti atque a terra remotiores sint, aerem puriorem siccioremque spiritu ducere atque ideo prudentiores esse quam bestias[1]). Eadem sententiarum congruentia eis quoque, quae proxime insequuntur, cerni potest. Postquam enim expositum est, aves, quamvis purum aerem spiritu inducerent, non esse prudentiores, quia aer propter spissam earum carnem non per totum corpus penetrare posset sed circum alvum staret, haec sunt adiecta: *διὸ τὴν μὲν τροφὴν ταχὺ πέττειν, αὐτὸ δ' ἄφρον εἶναι· συμβάλλεσθαι δέ τι πρὸς τῇ τροφῇ καὶ τὸ στόμα καὶ τὴν γλῶτταν· οὐ γὰρ δύνασθαι συνεῖναι ἀλλήλων.* Facultatem igitur colloquendi in avibus esse plane negat. Hoc autem praeclare cum Xenophontis sententia conspirat I 4, 12: *καὶ μὴν γλῶττάν γε πάντων τῶν ζῴων ἐχόντων, μόνην τὴν τῶν ἀνθρώπων ἐποίησαν οἵαν ἄλλοτε ἀλλαχῇ ψαύουσαν τοῦ στόματος ἀρθροῦν τε τὴν φωνὴν*

---

[1]) Reliqua, quae Duemmler adfert, quamquam non carent probabilitatis specie, praetereo, quippe quae non satis confirmata mihi videantur.

καὶ σημαίνειν πάντα ἀλλήλοις ἃ βουλόμεθα. Nec videtur a probabilitate abhorrere Aristotelem, cum studiose explicet 660 a 35 genera quaedam avium posse inter se colloqui, ad hanc Diogenis sententiam spectare.

Nec desunt indicia, quibus credas idem fuisse in Diogene etymologiae studium atque eandem diligentiam in rebus ex nominibus explicandis, quae in Aristoteliis et Platonicis illis locis vidimus. Nomen certe *ἀφροδισίων* ex spuma ab eo deductum esse testis est Clemens Alex. paed. I 6. 48 (Diels 51 A 24): *τινὲς δὲ καὶ τὸ σπέρμα τοῦ ζῴου ἀφρὸν εἶναι τοῦ αἵματος κατ' οὐσίαν ὑποτίθενται . . . . ἐντεῦθεν γὰρ ὁ Ἀπολλωνιάτης Διογένης τὰ ἀφροδίσια κεκλῆσθαι βούλεται.*

Attamen haec indicia nec tam certa nec Diogenis tam propria sunt, ut eis confisi huic potissimum scriptori illam quam tractamus de hominis structura expositionem vindicemus, praesertim cum hoc dubium esse videatur, num Apolloniates ille divinationis artem illa sedulitate defenderit, quam apud Euripidem et Xenophontem videmus. Quae omnia cum reputo, mihi non videtur sobrii esse consilii hanc expositionem aut Diogeni ipsi aut alii scriptori certo attribuere sed, ut nunc res est, quaestionem in medio relinquere, nec vero desperare fore aliquando, sententiis variorum quinti saeculi scriptorum melius exploratis, ut haec quoque res expediatur.

VI.

Nunc ad aliam atque eam contrariam rationem venio, qua de vitiis et infirmitate structurae humanae agitur. Eiusmodi enim sententiam Aristoteles distincte respicit eo loco, quo de manuum utilitate disserit. Namque post Anaxagoream illam opinionem refutatam, cum naturam exponit horum membrorum, quae dicit tamquam instrumenta esse optime ad multifarios usus intellegentis huius animalis accommodata, haec scribit 687 a 23: *ἀλλ' οἱ λέγον-*

τες ὡς συνέστηκεν οὐ καλῶς ὁ ἄνθρωπος ἀλλὰ χείριστα τῶν ζῴων (ἀνυπόδητόν τε γὰρ αὐτὸν εἶναί φασι καὶ γυμνὸν καὶ οὐκ ἔχοντα ὅπλον πρὸς τὴν ἀλκήν) οὐκ ὀρθῶς λέγουσιν. Quas res qui reputaverit, vix dubitabit quin Aristoteles non solum universam adversariorum sententiam reddiderit sed etiam verba ipsa. Et vero hoc idem enuntiatum invenitur, paucis modo rebus mutatis, in mytho eo, quem Plato in Protagora dialogo sophistam illum Abderiticum narrantem inducit 321 C: *καὶ ὁρᾷ (ὁ Προμηθεύς) τὰ μὲν ἄλλα ζῷα ἐμμελῶς πάντων ἔχοντα, τὸν δὲ ἄνθρωπον γυμνόν τε καὶ ἀνυπόδητον καὶ ἄστρωτον καὶ ἄοπλον.* Quam ob rem Aristoteles ad locum Platonicum spectare vulgo putabatur, dum Eduardus Zeller[1]) ante hos sedecim annos aliam explanationem protulit, quae plurimorum iudicio est probata. Cum enim mythum illum tractaret eorumque opinionem refutare conaretur, qui crederent morem tantum Protagorae et disputandi genus expressum esse, res autem narratas a Platone ipso esse inventas, ex hoc Aristotelis loco indicium petivit, quo totum mythi argumentum ex libro quodam sophistae ipsius ductum esse ostenderet. Verba enim utriusque auctoris non omni ex parte eadem esse admonuit, quandoquidem Plato *ἄοπλον* diceret, Aristoteles *οὐκ ἔχοντα ὅπλον πρὸς τὴν ἀλκήν.* Quae cum ita essent, Aristotelem putavit paulo accuratius curiosiusque quam Platonem ipsa sophistae verba reddidisse, cum alioquin vix divinari posset, cur in brevi praesertim sententia atque interpretandi causa tantummodo inserta rem, quam a magistro satis dilucide uno verbo indicatam invenisset, pluribus illustrare voluisset.

Hoc argumentum viri praestantissimi, quamquam non parvi aestimandum est, absolutam tamen vim ac persuadendi necessitatem habere mihi non videtur. Sunt enim aliae quoque res, quibus verba Platonis et Aristotelis inter

---

[1]) E. Zeller, Archiv f. d. Geschichte d. Phil. V (1892) 176 sq. Philos. d. Griech. I[5] p. 1120.

se differant et quae in hac quaestione disceptanda non sint neglegendae. Ac primum quidem Plato, vocabulo *ἄστρωτον* addito, hominem stragulis propriis nativisque carere dicit, quae res ab Aristotele omnino non commemoratur. Deinde Stagirites nudo atque inornato genere dicendi usus est, Platonis autem oratio multis vocabulis ornata quorum prima pars est *α* illud, quod dicunt privativum, insignem quendam artificiosumque colorem accepit: *ἀνυπόδητον, ἄστρωτον, ἄοπλον*. Cum igitur pristinam requirimus sententiam, discernendum est, utrum sit verisimilius Platonem simplicem verborum formam, quam in fonte invenisset, ita mutavisse, ut verbo *ἄστρωτον* adiecto et *ἄοπλον* pro *οὐκ ἔχοντα ὅπλον πρὸς τὴν ἀλκήν* reposito, concinnam illam particulae privativae iterationem efficeret, an Aristotelem propter causam quandam nobis obscuram, unam rem omisisse, alteram aliis verbis expressisse. Nam tertium illud quod cogitari possit, fontem exhibuisse et voces *ἀνυπόδητον καὶ ἄστρωτον* et *οὐκ ἔχοντα ὅπλον πρὸς τὴν ἀλκήν* minime est probabile, quandoquidem nullus scriptor, qui sententiam artificiosam consulto comparare coeperit, rem inceptam temere perturbat. Quibus in rebus investigandis nonnullius puto momenti esse alios quosdam locos, quibus in vita primitiva atque inculta describenda constanter stragula una cum vestibus, calceis, cibo commemorantur. Et Plato ipse exempla nonnulla praebet, quae eo graviora sunt, quod res narratae ad mythi argumentum tam prope accedunt, ut suspicari liceat eas ex eodem fonte originem cepisse. Ac primum in Politico hospes Eleates homines aureae aetatis ita depingit 272 A: *καρποὺς δὲ ἀφθόνους εἶχον ἀπό τε δένδρων καὶ πολλῆς ὕλης ἄλλης . . . . γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο.* Et in altero de re publica libro 372 A Socrates de incolis primae illius et simplicis quam describit urbis interrogat: *ἄλλο τι ἢ . . . . θέρους μὲν τὰ πολλὰ γυμνοί τε καὶ ἀνυπόδητοι ἐργάσονται, τοῦ δὲ χειμῶνος ἠμφιεσμένοι τε καὶ ὑποδεδεμένοι ἱκανῶς; θρέψονται δὲ ἐκ μὲν τῶν κριθῶν ἄλφιτα σκευαζόμενοι,*

ἐκ δὲ τῶν πυρῶν ἄλευρα . . ., κατακλινέντες ἐπὶ στιβάδων ἐστρωμένων μίλακί τε καὶ μυρρίναις, εὐωχήσονται . . .; In tertio quoque de legibus libro 679 A de priscis hominibus dicitur: *καὶ μὴν ἀμπεχόνης γε καὶ στρωμνῆς καὶ οἰκήσεων καὶ σκευῶν ἐμπύρων τε καὶ ἀπύρων εὐπόρουν*[1]). Porro res exstat Tzetzis loco (Gaisford Poet. Min. Graec. Schol. ad Hes. p. 69, 10), quem Eduardus Norden[2]) ex Plutarcheis in Hesiodi Opera et Dies commentariis deductum esse ostendit ac pro exemplo doctrinae Epicureorum habet: *οὕτω γοῦν ἐκ τῆς τοῦ πυρὸς κλοπῆς, ἤγουν τῆς ἐφευρέσεως καὶ τῆς χρήσεως, ἐφεύρομεν νέον κακὸν ἐπίσπαστον, τὴν τρυφερωτέραν ταύτην βιοτήν, τὸ ἐπὶ στιβάδων καὶ ταπήτων μαλακῶν καθεύδειν* . . . . In his sola stragula, ceteris artis operibus missis, ut instrumenta luxuriae vituperantur. Lucretius quoque in quarti libri vv. 843—850, ubi explicat quam diversa sit ratio membrorum corporis, quorum usus, postquam creata essent, ortos esse censet, atque artis operum, quae ab ingeniosis hominibus ad utilitatis notionem antea conceptam formata sint, hanc quoque rem inter exempla commemorat:

At contra conferre manu certamina pugnae
et lacerare artus foedareque membra cruore
ante fuit multo quam lucida tela volarent,
et volnus vitare prius natura coëgit
quam daret obiectum parmai laeva per artem.
scilicet, et fessum corpus mandare quieti
multo antiquius est quam lecti mollia strata,
et sedare sitim prius est quam pocula natum.

---

1) Verba Symposii 203 D, quibus Amor depingitur, sunt similia et fortasse memoriam eiusdem fontis ostendunt: *σκληρὸς καὶ αὐχμηρὸς καὶ ἀνυπόδητος καὶ ἄοικος, χαμαιπετὴς ἀεὶ ὢν καὶ ἄστρωτος* . . . . Sed hoc minus est certum, quia stragula cum calceis et vestibus, ut res necessariae, vulgo sunt coniuncta. Cf. Plat. Gorg. 517 D; Legg. I 633 C; Xen. Cyr. IV 5, 39; VI 2, 30; Oec. VIII 19; IX 6.

2) Jbb. f. class. Phil. Suppl. XIX 1893 p. 411 sqq.

Sed quamquam stragula apud Platonem aliosque scriptores tam constanter cum ceteris illis exemplis coniuncta inveniuntur, una atque ea haud contemnenda huius modi enarratio exstat, qua omnino non commemorantur. Dio enim Chrysostomus in sexta oratione §§ 21—33, ubi refert Diogenis Cynici querimonias et convicia contra consuetudines cultioris vitae, quamquam de vestitu, tectis, alimento hominum satis copiose agit, sine mentione lectos eorum praetermittit. Quam expositionem constat non solum ex vetere Cynico fonte fluxisse sed etiam has ipsas res, quas in Platonico mytho legimus, respicere et valde impugnare[1]). Haec igitur reputanti facile cuipiam contingere potest, ut mentionem illam stragulorum credat non ex priore fonte ductam sed postea a quovis additam esse. Attamen Cynicos ipsos philosophos frequentissime de lectis disseruisse lucide apparet ex eis, quae P. Wendland de disputationibus eorum collegit et exposuit[2]). Ac vero e locis eis Cynica doctrina tinctis, quos adfert, complures sunt, quibus stragula ita ut in mytho cum vestitu, tectis, cibo copulentur. In Anacharsidis enim qui fertur epistula quinta (p. 103 Hercher) legitur: *Ἐμοὶ μὲν περίβλημα χλαῖνα σκυθική, ὑπόδημα δέρμα ποδῶν, κοίτη δὲ πᾶσα γῆ, δεῖπνον καὶ ἄριστον γάλα καὶ τυρὸς καὶ κρέας ὀπτόν, πιεῖν ὕδωρ.* Et in Luciani quem appellant de Cynico libello § 15 haec sunt: *εὔχομαι δέ μοι τοὺς μὲν πόδας ὁπλῶν ἱππείων οὐδὲν διαφέρειν, ὥσπερ φασὶ τοὺς Χείρωνος, αὐτὸς δὲ μὴ δεῖσθαι στρωμάτων ὥσπερ οἱ λέοντες οὐδὲ τροφῆς δεῖσθαι πολυτελοῦς μᾶλλον ἢ οἱ κύνες.* Atque Clemens Alexandrinus in altero Paedagogi libro c. IX 77 sq. adulescentulos monet, ut a lectis mollibus se abstineant, tum alimento, quod primo capite copiose tractavit, leviter perstricto, de vestitu c. X 102 sqq. et

---

[1]) Cf. T. Gomperz, Griech. Denk. II pp. 117 sq., 544.

[2]) P. Wendland, Philo und die kynisch-stoische Diatribe (P. Wendland u. O. Kern, Beitr. z. Gesch. d. griech. Phil. u. Relig.) Berlin 1895, pp. 17, 26 sqq.

de calceis c. XI 116 disserit[1]). Itaque qui satis perpenderit quam frequenter et quanto pondere in his similibus expositionibus stragula commemorentur, non sine dubitatione accipiet dictum illud de inopia generis humani ita esse principio expressum, ut apud Aristotelem legitur, Platonicum autem mythum sententiam auctam et reformatam exhibere; immo hanc rem pro valde dubia neque explorata habebit[2]).

His difficultatibus cum implicati simus, haud est a re exquirere, sintne fortasse aliae apud Aristotelem res, quae cum mytho illo ita congruant, ut ex comparatione earum lux quaedam ad hanc quaestionem persequendam redundare possit. Et vero hoc ipso in opere ea quae Aristoteles cornuum naturam exponens de variis munimentis animalium adfert tantopere cum mytho illo conspirant, ut mirum sit hanc similitudinem adhuc neglectam esse.

Plat. Prot. 320 E—321 A.	Arist. de part. an. III 2, 662b 28—663a 8.
νέμων δὲ (ὁ Ἐπιμηθεύς) τοῖς μὲν ἰσχὺν ἄνευ τάχους προσῆπτε, τοὺς δ' ἀσθενεστέρους τάχει ἐκόσμει· τοὺς δὲ ὥπλιζε, τοῖς δ' ἄοπλον διδοὺς φύσιν ἄλλην	*οὐδὲν γὰρ (τῶν μὴ ζῳοτόκων) χρῆται τοῖς κέρασιν οὔτ' ἀμυνόμενον οὔτε πρὸς τὸ κρατεῖν, ἅπερ ἰσχύος ἐστὶν ἔργα. ὅσα μὲν οὖν πολυσχιδῆ τῶν ζῴων, οὐδὲν ἔχει κέρας. τούτου δ' αἴτιον ὅτι τὸ μὲν κέρας βοηθείας*

1) Antisthenem ipsum in Xenophontis Conv. IV 37 sq. de stragulis una cum cibo, vestitu, etc. mentionem facere, Praechter me monet. Cf. Cyr. VIII 8, 16. 19, ubi Xenophon de luxuria Persarum disserens has res consociatas commemorat.

2) Posteriores auctores, qui haec verba reddunt, nihil adiumenti ad rem disceptandam adferunt. Nam quae Plutarchus libello de fortuna scripto 98 D inseruit ex Platone hausta esse ipse profitetur: *μόνος δ' ὁ ἄνθρωπος κατὰ τὸν Πλάτωνα γυμνὸς καὶ ἄοπλος καὶ ἀνυπόδητος καὶ ἄστρωτος,* et quae Galenus in primo de usu partium corporis humani libro exhibet c. 2 p. 3, 1 Helmreich, *οὔκουν γυμνὸς οὐδ' εὔτρωτος οὐδ' ἄοπλος οὐδ' ἀνυπόδετος ἄνθρωπος,* ab Aristotelis oratione procul absunt, atque haec eo magis ex Platonico mytho deprompta esse puto, quod verba, quae paulo post leguntur, *βωμοὺς καὶ ἀγάλματα θεοῖς ἱδρύσατο* ab eodem Platone 322 A ducta esse videntur.

τιν' αὐτοῖς ἐμηχανᾶτο δύναμιν εἰς σωτηρίαν. ἃ μὲν γὰρ αὐτῶν σμικρότητι ἤμπισχε, πτηνὸν φυγὴν ἢ κατάγειον οἴκησιν ἔνεμεν· ἃ δὲ ηὖξε μεγέθει, τῷδε αὐτῷ αὐτὰ ἔσῳζε· καὶ τἄλλα οὕτως ἐπανισῶν ἔνεμε. ταῦτα δὲ ἐμηχανᾶτο εὐλάβειαν ἔχων μή τι γένος ἀϊστωθείη· ἐπειδὴ δὲ αὐτοῖς ἀλληλοφθοριῶν διαφυγὰς ἐπήρκεσε . . . .

αἴτιόν ἐστι, τοῖς δὲ πολυσχιδέσιν ὑπάρχουσιν ἕτεραι βοήθειαι· δέδωκε γὰρ ἡ φύσις τοῖς μὲν ὄνυχας, τοῖς δ' ὀδόντας μαχητικούς, τοῖς δ' ἄλλο τι μόριον ἱκανὸν ἀμύνειν. τῶν δὲ διχαλῶν τὰ μὲν πολλὰ κέρατα ἔχει πρὸς ἀλκήν, καὶ τῶν μωνύχων ἔνια, τὰ δὲ καὶ πρὸς βοήθειαν. ὅσοις δὲ μὴ δέδωκεν ἡ φύσις ἄλλην ἀλκὴν πρὸς σωτηρίαν, οἷον ταχυτῆτα σώματος, καθάπερ τοῖς ἵπποις βεβοήθηκεν, ἢ μέγεθος, ὥσπερ ταῖς καμήλοις· καὶ γὰρ μεγέθους ὑπερβολὴ τὴν ἀπὸ τῶν ἄλλων ζῴων φθορὰν ἱκανὴ κωλύειν, ὅπερ συμβέβηκε ταῖς καμήλοις, ἔτι δὲ μᾶλλον τοῖς ἐλέφασιν. τὰ δὲ χαυλιόδοντα, ὥσπερ καὶ τὸ τῶν ὑῶν γένος, διχαλόν.

Aristotelis explicatio, exacta et erudita, hoc maxime a mytho distat, quod animalia sunt divisa in genera certa, solidipedum scilicet, bisulcorum, multifidorum; quae divisio ex altero historiarum animalium libro 499 b 6 — 500 a 12 repetita est, ubi Aristoteles de his eisdem partibus animalium disputavit. Sed ea quae dicit de munimentis inter animalia aequitate quadam et compensatione distributis, cum prorsus sunt ab historiarum consilio aliena, tum admodum cum mytho consentiunt, quin etiam verba ipsa insignem exhibent cum Platonica oratione similitudinem. Sed ne hac quidem in re est absoluta congruentia, quoniam Plato, quamquam effugia animalium satis copiose tractat, arma eorum breviter tantummodo commemorat nec singula describit[1]); Aristoteles contra enumerat varia armorum

[1]) Hanc rem ut praetermitteret, Plato adductus esse videtur genere divisionis hoc loco adhibito, quod Graece *διχοτομία* ap-

genera, scilicet cornuum, unguium, dentium, exsertorum, quibus apri sunt instructi, dentium. Atque haec exempla armorum ad argumentum, quod Aristoteles reddit, admodum pertinere eo apparet, quod idem similia adfert eo loco, ubi humanam structuram defendit contra adversarium illum, qui hominem inermem constitutum esse affirmavit, 687 a 31: *τῷ δὲ ἀνθρώπῳ . . . ἔξεστι . . . ὅπλον οἷον ἂν βούληται καὶ ὅπου ἂν βούληται ἔχειν. ἡ γὰρ χεὶρ καὶ ὄνυξ καὶ χηλὴ καὶ κέρας γίνεται καὶ δόρυ καὶ ξίφος καὶ ἄλλο ὁποιονοῦν ὅπλον καὶ ὄργανον.* Cum autem haec res omnino a mytho absit, Aristotelem apparet non inde hausisse sed ex alio quodam fonte cuius consilium et argumentum Plato in universum accurate tradidisse videtur. Auctor enim ille, ut videtur, postquam varia animalium genera quo modo essent singula ad suam quaeque condicionem vivendi comparata, multo cum acumine exposuit, hominis constitutionem valde incusavit, quippe qui omnibus illis opportunitatibus prorsus careret. Aristoteles autem, quae hac in enarratione fuerunt sententiae de animalibus apte ac prudenter ad vivendum constructis, comprobavisse videtur et in ipsius scripto reddidisse, quin etiam tamquam fundamentum suae doctrinae subiecisse, contemptionem autem illam humanae structurae

---

pellatur. Postquam enim animalia universa in inermia et armata partitus est, hoc genus dimittit, illud autem in magna et parva iterum dividit. Deinde magnorum genus rursus dimittit, sed parva, prout sursum alis volantia aut deorsum sub terris latentia effugiunt, tertium dividit. Haec effugia in transcursu observo similiter inter se opposita esse duobus Euripideis locis, quibus sane de hominibus, non animalibus agitur:

Med. 1296 *δεῖ γάρ νιν ἤτοι γῆς σφε κρυφθῆναι κάτω*
ἢ πτηνὸν ἆραι σῶμ' ἐς αἰθέρος βάθος
εἰ μὴ τυράννων δώμασιν δώσει δίκην.

Hipp. 1290 *πῶς οὐχ ὑπὸ γῆς τάρταρα κρύπτεις*
δέμας αἰσχυνθείς,
ἢ πτηνὸς ἄνω μεταβὰς βίοτον
πήματος ἔξω πόδα τοῦδ' ἀπέχεις;

vehementer impugnavisse argumentis ex ea expositione ductis, cuius reliquias in Xenophontis commentariis deprehendimus[1]).

Sed ne quis forte contra dicat Aristotelem potuisse ceteras quidem, quas exponeret, res ex Platonis dialogo ducere, exempla tamen armorum ipsum excogitare, vocemus in quaestionem posteriores de hominis structura enarrationes, quae multae exstant apud auctores et Graecos et Latinos. Hae enim constanter exhibent similem seriem exemplorum eamque non aliam apud alios sed fixam et stabilem. Locos appono.

Cic. de nat. deor. II 47, 121: „. . . . . alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pinnarum“[2]).

Plut. de fort. 98 D: *τὰ μὲν γὰρ ὥπλισται κέρασι καὶ ὀδοῦσι καὶ κέντροις, „αὐτὰρ ἐχίνοις“ φησὶν Ἐμπεδοκλῆς „ὀξυβελεῖς χαῖται νώτοις ἐπιπεφρίκασι“, τὰ δ' ὑποδέδεται καὶ ἠμφί-*

---

1) Nec tamen Aristoteles, ubi controversia aberat neque agebatur de prudentia naturae defendenda, ea quae recte adversarius de hominis structura observaverat, neglexit aut negavit. Aliis enim locis, quibus hominem cum ceteris animalibus comparat, eum et inermem et nudum confitetur; velut in altero de partibus animalium libro, ubi de eis animalium membris disserit, quae ossibus sint similia. Postquam enim eodem fere modo atque in illo de cornibus capite enumeravit ungues, ungulas, bisulcas ungulas, cornua, rostra avium, dentes, exsertos dentes atque haec omnia munimenta et tela esse exposuit, haec addit 655 b 11: *ἐξ ἀνάγκης δὲ πάντα ταῦτα γεώδη καὶ στερεὰν ἔχει τὴν φύσιν· ὅπλου γὰρ αὕτη δύναμις. διὸ καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα μᾶλλον ἐν τοῖς τετράποσιν ὑπάρχει ζῴοις τῶν ζῳοτόκων, διὰ τὸ γεωδεστέραν ἔχειν πάντα τὴν σύστασιν ἢ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος.* Neque aliter in altero de animalium generatione libro 745 b 15 dicit: *διότι δ' ἐκ περιττώματός ἐστι τὰ τοιαῦτα τῶν μορίων, διὰ τοῦτ' ἄνθρωπος ψιλότατόν τε κατὰ τὸ σῶμα τῶν ζῴων πάντων ἐστὶ καὶ ὄνυχας ἐλαχίστους ἔχει ὡς κατὰ μέγεθος· ἐλάχιστον γὰρ ἔχει περίττωμα γεῶδες . . . .*

2) Cf. Tusc. disp. I 36, 87 „. . nos, qui sumus, num aut cornibus caremus aut pinnis?“

εσται φολίσι καὶ λάχναις καὶ χηλαῖς καὶ ὁπλαῖς ἀποκρότοις· μόνος δ' ὁ ἄνθρωπος κατὰ τὸν Πλάτωνα „γυμνὸς καὶ ἄοπλος καὶ ἀνυπόδητος καὶ ἄστρωτος" ὑπὸ τῆς φύσεως ἀπολέλειπται. „ἀλλ' ἓν διδοῦσα πάντα μαλθάσσει τάδε", τὸν λογισμὸν καὶ τὴν ἐπιμέλειαν καὶ τὴν πρόνοιαν.

Plut. de brut. anim. rat. praed. 988 E: *πῶς γὰρ οὐκ ἄτοπον αἰτιᾶσθαι μὲν ὑμᾶς τὴν φύσιν, ὅτι μὴ κέντρα προσέφυσε τοῖς σώμασι μηδ' ἀμυντηρίους ὀδόντας μηδ' ἀγκύλους ὄνυχας . .;*

Maxim. Tyr. II 4: *παντοδαπὴ γὰρ ἡ φύσις καὶ διὰ τοῦτο περιέβαλε καὶ διεκόσμησε τὰ ζῷα ἕκαστα ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ βίου, ἄλλα ἄλλοις ὅπλοις· τὰ μὲν ὀνύχων ἀκμαῖς, τὰ δὲ ὀδόντων ῥώμῃ, τὰ δὲ κεράτων ὀξύτητι, τὰ δὲ ποδῶν τάχει, τὰ δὲ θυμῷ, τὰ δὲ ἰῷ· τὸν δὲ ἄνθρωπον ἀποδύσασα τουτωνὶ τῶν περιβλημάτων, ἀπέφηνε γυμνὸν [καὶ ἀσθενῆ] καὶ ἄτριχον καὶ ῥώμην ἀσθενῆ καὶ θεῖν βράδιστον καὶ ἀνίπτασθαι ἀμήχανον καὶ νήχειν ἀμβλύτατον· ἐνέφυσε δέ τι αὐτῷ ζώπυρον ἀφανὲς πρὸς σωτηρίαν βίου ὃ καλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι νοῦν . . .* Cf. Hobein, De Maximo Tyrio quaest. philol. selectae (Göttingen 1895) p. 17.

Minuc. Fel. 17, 10: „. . . alias armatas cornibus, alias dentibus saeptas et fundatas ungulis et spicatas aculeis aut pedum celeritate liberas aut elatione pinnarum."

Herm. Isis ad Hor. Stob. I 49, 69 p. 464, 19 Wachs.: *οὐ γὰρ ἀσκόπως πτηνὰ μὲν ἐπτίλωσε, λογικὰ δὲ περισσαῖς καὶ ἀκριβεστέραις αἰσθήσεσιν ἐκόσμησε, τετραπόδων δὲ τὰ μὲν κέρασι, τὰ δὲ ὀδοῦσι, τὰ δὲ ὄνυξι καὶ ὁπλαῖς ἐκαρτέρωσε . . .*

Lactant. de opific. dei 2, 4: „Itaque alia eorum vel plumis levibus in sublime suspensa sunt vel suffulta ungulis vel instructa cornibus, quibusdam in ore arma sunt dentes aut in pedibus adunci ungues: nulli muni-

mentum ad tutelam sui deest. . . Hominem autem ratione concessa et virtute sentiendi atque eloquendi data eorum quae ceteris animalibus attributa sunt, fecit expertem, quia sapientia reddere poterat quae illi naturae condicio denegasset: statuit enim nudum et inermem, quia et ingenio poterat armari et ratione vestiri."

Gregor. Nyssen. de hom. opific. VII (Migne 44 p. 140 D): *ἀλλὰ γυμνὸς μὲν τῶν φυσικῶν σκεπασμάτων, ἄοπλος δέ τις καὶ πένης ὁ ἄνθρωπος, καὶ τῶν πρὸς τὴν χρείαν ἐνδεὴς ἁπάντων ἐπὶ τὸν βίον παράγεται, ἐλεεῖσθαι μᾶλλον ἢ μακαρίζεσθαι κατὰ τὸ φαινόμενον ἄξιος, οὐ προβολαῖς κεράτων καθωπλισμένος, οὐκ ὀνύχων ἀκμαῖς, οὐχ ὁπλαῖς ἢ ὀδοῦσιν ἤ τινι κέντρῳ θανατηφόρον ἰὸν ἐκ φύσεως ἔχοντι, οἷα δὴ τὰ πολλὰ τῶν ζῴων ἐν ἑαυτοῖς πρὸς τὴν τῶν λυπούντων ἄμυναν κέκτηται* [1]).

Atque ut clarius et uno in conspectu appareat, quam constanter in his dentes, ungues, ungulae recurrant, res ordinatim dispositas praebeo.

Nec minus est pervulgata alia similis series exemplorum, qua non solum tela varia sed etiam animalia ipsa, quae sunt singula eis praedita, designantur, id quod ex locis ipsis apparet.

Ps.-Phocylid. 125 sqq.:
ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε θεός, φύσιν ἠερόφοιτον
ὄρνισι μὲν πολλὴν ταχυτῆτ' [2]), *ἀλκήν τε λέουσιν,*
ταύροις δ' αὐτοχύτοις κεράεσσιν, κέντρα μελίσσαις
ἔμφυτον ἄλκαρ ἔδωκε, λόγος δ' ἔρυμ' ἀνθρώποισιν.

---

[1]) Ne septimo decimo quidem saeculo haec res in oblivionem venit. Nam Thomasius Hobbes in libro, qui Leviathan inscribitur, I 4 hanc sententiam ex nescio quo auctore vetere depromptam adfert: "seeing nature hath armed living creatures, some with teeth, some with horns, and some with hands to grieve an enemy, it is but an abuse of speech to grieve him with the tongue . . . ."

[2]) Lectionem codicis *H*, quamvis vitiosam, reddo. Nam quae Sylburg coniecit *πώλοις ταχυτῆτ'*, quamvis vulgo compro-

Cicero	Plut. 98 D	Plut. 988 E	Max. Tyr.	Min. Fel.	Hermes	Lactant.	Greg. Nyss.
cornua	*κέρατα*		*κέρατα*	cornua	*κέρατα*	cornua	*κέρατα*
·	*ὀδόντες*	*ὀδόντες*	*ὀδόντες*	dentes	*ὀδόντες*	dentes	*ὀδόντες*
		ὄνυχες	*ὄνυχες*		*ὄνυχες*	ungues	*ὄνυχες*
				ungulae	*ὁπλαί*	ungulae	*ὁπλαί*
	κέντρα	*κέντρα*		aculei			*κέντρον*
			ποδῶν τάχει	pedum celeritas			
pinnae				pinnae		plumae	
			θυμός				
			ἰός				

Anacreont. 24:

Φύσις κέρατα ταύροις,
ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
ποδωκίην λαγωοῖς,
λέουσιν χάσμ' ὀδόντων,
τοῖς ἰχθύσιν τὸ νηκτόν,
τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι,
τοῖς ἀνδράσιν φρόνημα.
γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν.
τί οὖν; δίδωσι κάλλος . . .

Galen. de usu part. corp. hum. I 2 p. 2, 2 Helmreich: *ἵππῳ μὲν ἰσχυραῖς ὁπλαῖς καὶ χαίτῃ κεκοσμημένον, καὶ γὰρ ὠκὺ καὶ γαῦρον καὶ οὐκ ἄθυμον τὸ ζῷον· λέοντι δέ, θυμικὸν γὰρ καὶ ἄλκιμον, ὀδοῦσί τε καὶ ὄνυξιν ἰσχυρόν· οὕτω δὲ καὶ ταύρῳ καὶ συΐ, τῷ μὲν γὰρ τὰ κέρατα, τῷ δ' οἱ χαυλιόδοντες ὅπλα ξύμφυτα· ἐλάφῳ δὲ καὶ λαγωῷ, δειλὰ γὰρ τὰ ζῷα, ταχὺ μὲν τὸ σῶμα, γυμνὸν δὲ πάντῃ καὶ ἄοπλον· . . . ἀνθρώπῳ δέ, σοφὸν γὰρ τοῦτο τὸ ζῷον καὶ μόνον τῶν ἐπὶ γῆς θεῖον, ἀντὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ἀμυντηρίων ὅπλων χεῖρας ἔδωκεν.*

Gregor. Nyss. de hom. opific. VII (Migne 44 p. 141 A): *νυνὶ δὲ λέων μὲν καὶ σῦς καὶ τίγρις καὶ πάρδαλις καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον, ἀρκοῦσαν ἔχει πρὸς σωτηρίαν τὴν ἐκ φύσεως δύναμιν*[1]). *καὶ τῷ ταύρῳ μὲν τὸ κέρας καὶ τῷ λαγωῷ τὸ τάχος καὶ τῇ δορκάδι τὸ πήδημα καὶ τὸ κατ' ὀφθαλμὸν ἀσφαλὲς καὶ ἄλλῳ τινὶ ζῴῳ τὸ μέγεθος καὶ ἑτέροις ἡ προνομαία καὶ τοῖς πετεινοῖς τὸ πτερὸν καὶ τῇ μελίσσῃ τὸ κέντρον καὶ πᾶσι πάντως ἕν τι εἰς σωτηρίαν παρὰ τῆς φύσεως ἐμπέφυκε.*

---

bata, eo minus mihi satis faciunt, quod vulgo in hac serie exemplorum non equus, sed cervus et lepus ad celeritatem illustrandam sunt adhibiti.

[1]) His verbis ungues, dentes, exsertos dentes significari ex eis exemplis, quae ceteri auctores adferunt, satis perspicuum est.

μόνος δὲ πάντων ὁ ἄνθρωπος τῶν μὲν ταχυδρομούντων ἀργότερος, τῶν δὲ πολυσαρκούντων βραχύτερος, τῶν δὲ τοῖς συμφύτοις ὅπλοις ἠσφαλισμένων εὐαλωτότερος.

Iohann. Chrysost. ad pop. Antioch. XI 4 (Migne 49 p. 125): *τὰ ἄλογα πάλιν ἐν τῷ σώματι τὰ ὅπλα ἔχει οἷον ὁ βοῦς τὰ κέρατα, τοὺς ὀδόντας ὁ ὗς ὁ ἄγριος, τοὺς ὄνυχας ὁ λέων· ἐμοὶ δὲ οὐκ ἐν τῇ φύσει τοῦ σώματος τὰ ὅπλα κατέθετο ὁ Θεὸς ἀλλ' ἔξω τοῦ σώματος, δεικνὺς ὅτι ἥμερον ζῷον ὁ ἄνθρωπος καὶ ὅτι οὐκ ἀεί μοι τούτων τῶν ὅπλων καιρός . . . οὐ γὰρ μόνον τῷ ψυχὴν ἔχειν λογικὴν κρατοῦμεν τῶν ἀλόγων ἀλλὰ καὶ τῷ σώματι πλεονεκτοῦμεν αὐτῶν.*

Mich. Glycas. Annales I p. 51: *τῷ λαγωῷ καὶ τῷ ἐλάφῳ δειλοῖς οὖσι κατὰ ψυχὴν δρόμον ἔδωκεν, ἵνα τὰς τῶν κυνηγούντων χεῖρας ἐκφεύγωσι, τῷ χοίρῳ θυμώδει καὶ πολεμιστῇ ὄντι τοὺς χαυλιόδοντας, τῷ ταύρῳ κέρας χαρίζεται καὶ τῷ λέοντι ὀδόντας καὶ ὄνυχας . . . τὸν δὲ ἄνθρωπον γυμνὸν εἰς τὸν βίον παραγαγὼν τῇ περιουσίᾳ τοῦ λόγου παρεμυθήσατο*[1]).

---

[1]) Similia ea, quae H. Hobein ex Maximi Tyrii declamationibus adfert (De Max. Tyr. quaest. phil. select. 1895 p. 17), illustrant, quomodo diversae exemplorum series sint inter se coniunctae atque contaminatae. Sic in eis quae leguntur II 4 *ὥσπερ οὖν τῷ ἵππων γένει συγκεκλήρωται πρὸς σωτηρίαν δρόμος, καὶ τῷ βοῶν πόνοι, καὶ ὄρνισι πτερά, καὶ λέουσιν ἀλκή, καὶ ἄλλοις ἄλλο τι· οὕτως ἀμέλει καὶ τῷ ἀνθρώπῳ ὑπάρχει δύναμις ξυμφυὴς διασωστικὴ τοῦ γένους· ταύτην δὲ ἑτέραν εἶναι δεῖ παρ' ἕκαστον τῶν ἄλλων, εἰ μέλλει ἄνθρωπος ὢν μὴ ὑπὸ ἀλκῆς σωθήσεσθαι, ὥσπερ οἱ λέοντες μηδὲ ὑπὸ δρόμου, ὥσπερ οἱ ἵπποι, μηδὲ ἀχθοφορεῖν ὄνου δίκην, μηδὲ ἀροῦν βοὸς δίκην, μηδὲ πέτεσθαι κατὰ ὄρνιθας, μηδὲ νήχεσθαι κατὰ ἰχθύας,* ea leonum et avium, quae commemorantur, munimenta cum exemplis illis supra allatis plane conveniunt, equorum autem, boum, asinorum tutelae haud leviter ab illis distant. Quam ad rem explicandam iuvat sensum animadvertere, qui hoc loco *δρόμου* voci subiectus est, qui ex his quae antecedunt § 2 satis apparet: *φέρε, εἴ τις ἐπεχείρει, τὸν βοῦν ὑπολύσας τῶν ἀρότρων καὶ τὸν ἵππον τῶν ἁρμάτων, ὑπαλλάξας*

Haec quoque ordinatim composui; quae cum prioribus qui comparabit, munimenta eadem esse videbit, hoc tantum excepto, quod exserti aprorum dentes separati et in proprium ordinem dispositi sunt.

ἑκατέρου τὴν ἐργασίαν, ὑπαγαγεῖν τὸν μὲν βοῦν τῷ ἅρματι, τὸν δὲ ἵππον τῷ ἀρότρῳ κτλ. Non igitur orator fugiendi celeritatem respicit sed munus, quo equus in curru vehendo fungitur. Eademne significatio intellegenda sit in similibus eis, quae XII 5 leguntur, *οὐ λεόντων πρὸς ἀλκήν, οὐκ ἐλάφων πρὸς φυγήν, οὐχ ἵππων πρὸς δρόμον*, cernere non possum. Sed hoc utcumque se habet, exempla ea equorum, boum, asinorum, quae Maximus illo loco adhibet, ex serie ea ducta sunt, quam Stoici protulerunt ut exponerent animalia varia quomodo hominum utilitati servirent. Quam rem cum Zeller III 1 ³ p. 172 adn. 1 et 3 perstringit, tum Hobein p. 73 sqq. copiose tractat multisque exemplis illustrat; quibus haec quoque addi potuerunt: Cic. de fin. II 13, 40 et Tusc. disp. I 28, 69; Plut. quomodo adul. ab amic. internosc. 64 E; Greg. Nyss. de hom. op. VII (Migne 44 p. 141 C D). Cuius generis ex exemplis unum solum hic adfero ad rem declarandam; Cic. de nat. deor. II 14, 37: „ut equum vehendi causa, arandi bovem, venandi et custodiendi canem.“ De asinorum genere ad onera ferenda comparato cf. Cic. de nat. deor. II 64, 159, Orig. contr. Cels. IV 78 (Koetschau p. 348, 22), Greg. Nyss. de hom. op. VII p. 141 C.

Item Maximus XXVI 6, *ὥσπερ γὰρ ἄλλο ἄλλῳ ζῴῳ ἀλέξημα ἥκει παρὰ τῆς φύσεως εἰς τὸν αὐτοῦ βίον, ὑφ᾽ οὗ σώζεται, λέουσιν ἀλκή, ἐλάφοις δρόμοι, θῆραι κυσίν, καὶ τῷ μὲν διερῷ γένει αἱ νήξεις, τῷ δὲ μεταρσίῳ αἱ πτήσεις, τῷ δὲ ἰλυσπωμένῳ οἱ φωλεοί· ὡς δὲ καὶ τοῖς ἀνθρώποις, τὰ ἄλλα ἐλαττουμένοις τῶν ἁπάντων, (καὶ γὰρ ἀλκὴν ἀσθενέστατοι, καὶ θεῖν βράδιστοι, καὶ ἀνίπτασθαι ἀδύνατοι, καὶ νήχειν ἀσθενεῖς, καὶ φωλεύειν ἀμήχανοι) λόγον δὲ αὐτοῖς θεὸς ἔδωκε πρὸς τὰς ἁπάντων εὐπορίας ἀντίρροπον κτλ.*, cum illis iam saepe observatis leonum et cervorum munimentis copulat canum ad venandum utilitatem, quae ex Stoica illa serie manifesto fluxit. Addit etiam exempla quaedam, quibus varia incessus genera illustrentur. Haec partitio animalium iam in Timaeo Platonico XLIV 91 D—92 A deprehenditur, clarius autem apud Aristotelem de part. an. 639 b 2 apparet: *διαφέρει γὰρ πτῆσις καὶ νεῦσις καὶ βάδισις καὶ ἕρψις.* Cf. etiam Cic. de nat. deor. II 47, 122; Tusc. disp. V 13, 38; de fin. V 15,42;

Phocylid.	Anacreont.	Galenus	Greg. Nyss.	Iohan. Chrys.	Mich. Glyc.
ταῦροι	ταῦροι	ταῦρος	ταῦρος	βοῦς	ταῦρος
κέρατα	κέρατα	κέρατα	κέρας	κέρατα	κέρας
λέοντες,	λέοντες	λέων		λέων	λέων
ἀλκή	χάσμ᾽ ὀδόντων	ὀδόντες		ὄνυχες	ὀδόντες
		κ. ὄνυχες			κ. ὄνυχες
		σῦς		ὗς ἄγριος	χοῖρος
		χαυλιόδοντες		ὀδόντες	χαυλιόδοντες
	ἵπποι	ἵππος			
	ὁπλαί	ὁπλαὶ κ. χαίτη			
μέλισσαι			μέλισσα		
κέντρα			κέντρον		
		ἔλαφος			ἔλαφος
	λαγωοί	κ. λαγωός	λαγωός		κ. λαγωός
	ποδωκίη	ταχὺ σῶμα	τάχος		δρόμος
ὄρνιθες	ὄρνεα		πετεινοί		
φ. ἠερόφοιτος	πέτασθαι		το πτερόν		
	ἰχθύες				
	τὸ νηκτόν				
ἄνθρωποι	ἄνδρες	ἄνθρωπος		ἄνθρωπος	ἄνθρωπος
λόγος	φρόνημα	χεῖρες		λογικὴ ψυχή	λόγος

Haec autem exempla, quamvis eis, quae Aristoteles exhibet, persimilia, tamen non esse ex illius libro hausta videntur, propterea quod ille dicit equos pernicitate fugiendi se conservare[1]), posteriores autem auctores ungulis se defendere, ut boves cornibus et leones dentibus, pernicitatis autem exempla lepores et cervos praebent[2]). Praeterea haec exempla multo ante Aristotelis aetatem in hunc ordinem esse redacta perspicuum est ex loco Cyropaediae Xenophonteae[3]), ubi Pheraulas plebeios milites hortatur, ut in proelio optimates aemulentur II 3, 9: *νῦν δ', ἔφη, ἡμῖν καὶ δείκνυται μάχη, ἣν ἐγὼ ὁρῶ πάντας ἀνθρώπους φύσει ἐπισταμένους, ὥσπερ γε καὶ τἄλλα ζῷα ἐπίσταταί τινα μάχην ἕκαστα οὐδὲ παρ' ἑνὸς ἄλλου μαθόντα ἢ παρὰ τῆς φύσεως, οἷον ὁ βοῦς κέρατι παίειν, ὁ ἵππος ὁπλῇ, ὁ κύων στόματι, ὁ*

Plut. aq. an ign. util. 956C; Herm. ap. Stob. I 49, 69 p. 465 (Wachs.). Ipse Maximus haec eadem repetit XXXV 7, *τὰ πετόμενα, τὰ βαδίζοντα, τὰ ἕρποντα, τὰ τὴν ὑγρὰν δίαιταν ἀσπαζόμενα.* Atque etiam in eis, quae supra adtuli, II 4 nantium et volantium genera sunt sibi opposita; quod idem in Anacreonteo illo 24 videtur: *τοῖς ἰχθύσιν τὸ νηκτόν, τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι.*

[1]) Usum ungularum ad defendendum Aristoteles quamquam hoc loco negligit, tamen non omnino praetermittit. Praeter libr. de part. an. IV 687 b 3 quae supra contuli, vide IV 690 a 20: *τὰ δὲ τοιαῦτα (τὰ ἔχοντα ἀστράγαλον) τοῖς ὄπισθεν χρῆται κώλοις, λακτίζοντα τὸ λυποῦν.* Sed haec ad bisulca, non equos spectant. De solidipedibus quoque agitur II 655 b 3: . . . *τὰ τοιάδε τῶν μορίων οἷον ὄνυχές τε καὶ ὁπλαὶ καὶ χηλαὶ καὶ κέρατα καὶ ῥύγχη τὰ τῶν ὀρνίθων. πάντα δὲ ταῦτα βοηθείας ἔχουσι χάριν τὰ ζῷα.*

[2]) Ut eos locos commemorem, qui ab hac consuetudine recedunt, haec leguntur Phaedr. ap. II 7: „equi velocis placidam mansuetudinem," haec autem Phocylid. 126, si quidem Sylburgi coniecturam comprobare velis: [*πώλοις*] *ταχυτῆτ'*. De Max. Tyr. II 4 et XVI 5 vide adn. p. 61 sq.

[3]) Plato quoque ad rem spectare videtur in nono de re publica libro 586 B: *βοσκημάτων δίκην . . . λακτίζοντες καὶ κυρίττοντες ἀλλήλους σιδηροῖς κέρασί τε καὶ ὁπλαῖς ἀποκτιννύασι δι' ἀπληστίαν.*

κάπρος ὀδόντι. καὶ φυλάττεσθαί γ', ἔφη, ἅπαντα ταῦτα ἐπίσταται ἀφ' ὧν μάλιστα δεῖ . . . .

Exempla quae adfert eadem sunt, quae apud posteriores auctores vidimus, nisi quod canis leonis locum occupat in morsu illustrando neque ungues commemorantur. Sed res ipsa, quae explicatur, longe est diversa, quoniam Pheraulas non ad structuras hominis et animalium comparandas genera varia telorum enumerat, sed ut innatam pugnandi scientiam declaret. Hanc enim eandem hominibus insitam atque ingeneratam esse affirmat non sine vehementia quadam, quae controversiam indicare videtur § 10: *καὶ ἐγώ, ἔφη, ἐκ παιδίου εὐθὺς προβάλλεσθαι ἠπιστάμην πρὸ τούτων ὅ τι ᾤμην πληγήσεσθαι· εἰ δὲ μὴ ἄλλο μηδὲν ἔχοιμι, τὼ χεῖρε προέχων ἐνεπόδιζον ὅ τι ἐδυνάμην τὸν παίοντα· καὶ τοῦτο ἐποίουν οὐ διδασκόμενος, ἀλλὰ καὶ ἐπ' αὐτῷ τούτῳ παιόμενος, εἰ προβαλοίμην. μάχαιράν γε μὴν εὐθὺς παιδίον ὢν ἥρπαζον ὅπου ἴδοιμι, οὐδὲ παρ' ἑνὸς οὐδὲ τοῦτο μαθὼν ὅπως δεῖ λαμβάνειν ἢ παρὰ τῆς φύσεως, ὡς ἐγώ φημι.* Atque hanc quoque sententiam posteriores auctores item serie exemplorum illustrant, interdum eadem illa, quam Xenophon exhibet, saepe aliquantulum diversa, rebus quibusdam additis aut mutatis. Ac proxime accedit Galeni locus, qui est in primo de usu partium corporis humani libro c. 3 p. 4, 17 Helmr.: *ἐγὼ γοῦν καὶ βοὸς μόσχον πολλάκις εἶδον κυρίττοντα πρὶν φῦσαι τὰ κέρατα, καὶ πῶλον ἵππου λακτίζοντα μαλακαῖς ἔτι ταῖς ὁπλαῖς, καί τινα κομιδῇ σμικρὸν χοῖρον ἀμύνεσθαι ταῖς γένυσιν ἐπιχειροῦντα γυμναῖς τῶν μεγάλων ὀδόντων, καὶ σκύλακα νεογενῆ δάκνειν ὀριγνώμενον ἁπαλοῖς ἔτι τοῖς ὀδοῦσιν. αἴσθησιν γὰρ πᾶν ζῷον ἀδίδακτον ἔχει τῶν τε τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς δυνάμεων καὶ τῶν ἐν τοῖς μορίοις ὑπεροχῶν.* Hoc loco Galenus ad Epicureorum, ut videtur, sententiam spectat, qui negaverunt membra varia corporis, oculos, aures, pedes, cetera ad certos usus constituta esse et membra ipsa usus procreare contenderunt, eo nixi quod haec prius formarentur quam officia eorum cogitarentur[1]). Quam doctrinam ut

[1]) Cf. Lucret. IV 823 sqq., Lactant. de op. dei 6, 8.

refutet, Galenus explicat novella animalia usus quarundam corporis partium sentire, prius etiam quam hae exstiterint p. 5, 2: *πῶς οὖν ἐστι δυνατὸν φάναι τὰ ζῷα πρὸς τῶν μορίων διδαχθῆναι τὰς χρήσεις αὐτῶν, ὅταν καὶ πρὶν ἐκεῖνα σχεῖν φαίνηται γιγνώσκοντα;*

Stoici autem quomodo haec exempla adhibuerint, ut declararent animalia sensu naturali et innato facultates suas cognoscere, apparet ex Hieroclis libro, qui *Ἠθικὴ στοιχείωσις* inscribitur[1]), in quo haec leguntur (Col. 2): *διὸ πρώτη πίστις τοῦ αἰσθάνεσθαι τὸ ζῷον ἅπαν ἑαυτοῦ ἡ τῶν μερῶν καὶ τῶν ἔργων, ὑπὲρ ὧν ἐδόθη τὰ μέρη, συναίσθησις· δευτέρα δὲ ὅτι οὐδὲ τῶν πρὸς ἄμυναν παρασκευασθέντων αὐτοῖς ἀναισθήτως διάκειται. καὶ γὰρ ταῦροι μὲν εἰς μάχην καθιστάμενοι ταύροις ἑτέροις ἢ καί τισιν ἑτερογενέσι ζῴοις τὰ κέρατα προΐσχονται, καθάπερ ὅπλα συμφυᾶ πρὸς τὴν ἀντίταξιν. οὕτω δ' ἔχει καὶ τῶν λοιπῶν ἕκαστον πρὸς τὸ οἰκεῖον καί, ἵν' οὕτως εἴπω, συμφυὲς ὅπλον. τὰ μὲν γὰρ ὁπλαῖς, τὰ δὲ ὀδοῦσι, τὰ δὲ χαυλιοδοῦσι, τὰ δὲ κέντροις, τὰ δὲ ἰοῖς οἷον ὠχυρωμένα τούτοις ἐν ταῖς πρὸς ἕτερα διαμίλλαις ἐπὶ τὴν ἄμυναν χρῆται. τὸ δὲ δὴ τῆς πτυάδος καλουμένης ἀσπίδος οὐδ' ἱστορίας ἀνάξιον· τοσαύτῃ γὰρ ἄρα χαλεπότητι περίεστι τὸ θηρίον τῶν ὁμωνύμων τε καὶ ὁμογενῶν, ὥστε ἄνευ δήγματος, οἷον βέλος ἀφιεῖσα τὸν ἰὸν ἐφ' ὅ τι ἂν θέλῃ τῶν ζῴων, οὐκ ἔλαττον τῶν ἑτέρων ἀναιρεῖν ἀσπίδων.*

Cui loco proxime accedunt quae Porphyrius in tertii de abstinentia libri c. 9 adfert, ut intellegentiam animalium vindicet: *ὅτι τοίνυν καὶ λογικὴ ἐν αὐτοῖς ἐστιν καὶ οὐκ ἀφῄρηται φρονήσεως ἐπιδεικτέον. πρῶτον μὲν ἕκαστον οἶδεν εἴτε ἀσθενές ἐστιν εἴτε ἰσχυρόν, καὶ τὰ μὲν φυλάττεται, τοῖς δὲ χρῆται, ὡς πάρδαλις μὲν ὀδοῦσιν, ὄνυξι δὲ λέων καὶ ὀδοῦσιν, ἵππος δὲ ὁπλῇ καὶ βοῦς κέρασιν, καὶ ἀλεκτρυὼν μὲν πλήκτρῳ, σκορπίος δὲ κέντρῳ· οἱ δ' ἐν Αἰγύπτῳ ὄφεις πτύσματι [ὅθεν καὶ πτυάδες καλοῦνται] ἐκτυφλοῦσι τὰς ὄψεις τῶν ἐπιόντων,*

---

[1]) Hierokles, bearbeitet von H. v. Arnim, Berl. 1906.

ἄλλο δὲ ἄλλῳ χρῆται σῷζον ἑαυτὸ ἕκαστον. Cf. Hierokles, bearb. v. H. v. Arnim, Berl. 1906, p. 66.

Ac Philo in libro de animalibus § 80 p. 165 (Aucher) postquam commemoravit palumbes vultures fugere, pullos reptilia timere, marinos murices, dum tangerentur, tenaciter lapidem cui haererent constringere, quaerit: „Deliberatione forsan? Minime: sed naturae peculiari quadam dispositione, quae singula ad opus coaptatum invitat. Quamobrem aves statim ut alae eis natae sint, illico volant; et tauri, cornibus natis, illico cornua movent et impugnantes oppugnant. Praeterea, haud consulto (neque enim id putes) scorpio attollens aculeum dimovet ac si per electionem statuerit debere ulcisci eum, qui iam iniuriam sibi fecerit. . . . Et haec omnia possident, ut salva se servent et ut vindicent se ab invasoribus."

Eadem fere leguntur in Ovidiis Halieuticis (vss. 1—5):

> „Accepit mundus legem, dedit arma per omnes
> admonuitque sui. vitulus sic nempe minatur,
> qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte,
> sic dammae fugiunt, pugnant virtute leones
> et morsu canis et caudae sic scorpios ictu,
> concussisque levis pennis sic evolat ales."

Reliquiae autem eiusdem enarrationis apud Ciceronem quoque exstant, de nat. deor. II 50, 127: „Iam illa cernimus ut contra vim et metum suis se armis quaeque defendant, cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones"[1]).

Sed ne putes hanc seriem exemplorum propriam esse Stoicorum et auctorum qui ex eorum libris hauserint, etiam Epicureos eandem adhibuisse ad sermonis originem exponendam ex Lucretii libro quinto v. 1033 sqq. apparet:

---

[1]) Aelianus de nat. anim. IX 40 idem argumentum adfert: *οἶδε δὲ ἄρα τῶν ζῴων ἕκαστον ἐν ᾧ μέρει κέκτηται τὴν ἀλκήν, καὶ τούτῳ θαρρεῖ, καὶ ἐπιβουλεῦον μὲν χρῆται ὡς ὅπλῳ κινδυνεῦον δὲ ὡς ἀμυντηρίῳ* . . . . . Exempla autem quae insequuntur ex piscium, non quadrupedum, generibus sunt delecta.

„Sentit enim vim quisque suam quoad possit abuti.
cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,
illis iratus petit atque infestus inurget.
at catuli pantherarum scymnique leonum
unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
vix etiam cum sunt dentes unguesque creati.
alituum porro genus alis omne videmus
fidere et a pinnis tremulum petere auxiliatum[1]).“

Eiusdem rei vestigia Horatius quoque exhibet illo loco, quo sua propria et satirica tela praedicat (Sat. II 1, 50 sqq.):

„ut quo quisque valet suspectos terreat utque
imperet hoc natura potens, sic collige mecum:
dente lupus, cornu taurus petit; unde nisi intus
monstratum? . . . . . .
. . . . . . mirum
ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos.“

Similia quoque ad prorsus aliam rem explanandam afferuntur in septimo decimo Aristotelis qui fertur problematum libro 948 b 27: τοῦ δὲ τοὺς ἀλγοῦντας κατέχειν τὸ πνεῦμα αἴτιον. ὅτι ταῖς ἐνυπαρχούσαις ἡμῖν βοηθείαις φύσει εὐθὺς πάντες παθόντες ἄνευ λογισμοῦ χρώμεθα, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ζῷα· τὰ μὲν γὰρ κέρασι, τὰ δὲ ὀδοῦσι, τὰ δὲ ὄνυξιν ἀμύνεται.

Ut iam breviter omnia comprehendam, haec exempla eo consilio fusius paulum prolata sunt, ut lucide appareret eam telorum animalium descriptionem et distinctionem, quae apud Aristotelem exstat, posterioribus quoque temporibus crebro inveniri atque in scriptis, quorum plurima certe ex Aristotelio illo loco originem habuisse haud putari posset; praeterea hanc ipsam exemplorum seriem vidimus iam diu ante Aristotelis aetatem in Xenophontis quadam oratione allatam esse, ita tamen ut ad

[1]) Hunc Lucretii locum T. Birt cum Ovidiis illis Hal. 1—5 et Cic. de nat. deor. II 50, 127 et 47, 121 contulit (Halieutica Berl. 1878 p. 100 sq.).

aliam sententiam ornandam adhiberetur; quapropter satis est perspicuum hanc rem non ab ipso Aristotele inventam esse; atque cum eadem a Platonico mytho omnino absit, concludi potest Stagiritam non inde sed ex alio quodam fonte eas rationes duxisse, quas in illo de cornibus capite adferret. Sed cum nobiscum consideramus duas illas ac diversas sententias, quae una hac exemplorum serie illustratae sunt, fieri non potest quin alia haec quaestio subeat, nonne fuerit principio certe ratio quaedam atque coniunctionis vinculum inter hanc comparationem opportunitatum earum, quibus humanum genus et animalia parata sunt, atque alteram illam de innato facultatum sensu doctrinam. Atque etiamsi hanc ad rem expediendam nihil habeo certi et admodum explorati quod adferam, non erit fortasse prorsus a re si coniectandi ope nixus exponam quomodo mihi videatur haec coniunctio potuisse effici. Initium igitur capio ex diversa ea ratione homines et bestias comparandi, quae in utriusque generis expositionibus conspicitur. Hac enim re potissimum inter se differunt, quod una ex parte exempla illa ideo adferuntur, ut appareat quantum homines et cetera animantia inter se distent, ex altera autem parte ex ipsis bestiis indicia petuntur, quibus hominum affectiones explicentur, ut qui illis similes sint et eiusdem quasi familiae. Namque sicut in mytho Platonico humanum genus et animalia quam maxime sunt opposita et id potissimum agitur ut eluceat quanta sit discrepantia earum, quibus utraque sint naturaliter instructa, opportunitatum, ita in posterioribus eiusdem argumenti exemplis homines sunt a ceteris animantibus separati ac saepe etiam contenditur eos corporis constructione inferiores esse ac propter intellegentiam tantummodo aequos aut superiores. Alterius autem generis exempla, quibus de nativa cognitione disseritur, maximam partem non exhibent hanc oppositionem, et si ulla fit de humano genere mentio, cum ceteris animalibus consociatur. Atque ut exempla percurramus, Lucretius ideo seriem illam exemplorum adfert (V 1033), ut humana

oratio quomodo exstiterit exponat, Hierocles autem, ut sentiendi et cogitandi quae in hominibus sint initia enucleet (Ἠθικ. στοιχ. col. 2). Item Horatius quoque haec adhibet ad eum animi impetum declarandum, quo ipse ad satiras conscribendas cogatur (Sat. II 1, 50), atque in illo problematum libro (XVII 948 b 27) his eisdem explicatur quamobrem homines dolore affecti spiritum retinere soleant. Quae omnia optime dicas conspirare cum illo antiquissimo huius argumenti exemplo, quod est in Xenophontis Cyropaedia II 3, 9, quo contenditur vim bellicam armorumque scientiam naturaliter tam hominibus quam bestiis insitam esse. Attamen ne ab his quidem de innatis facultatibus expositionibus omnino absunt loci, quibus humanum genus et cetera animalia sibi opposita sint. Hoc enim haud raro adiunctum est, bestias, quae ratione careant, sine ulla educatione facultates suas sentire, hominibus contra, quamvis intellectu longe illis praestent, disciplina et institutione opus esse. Galenus enim in extrema parte illius capitis haec scribit (de usu part. corp. hum. I 3): *ταύτῃ μοι δοκεῖ τὰ μὲν ἄλλα τῶν ζῴων φύσει μᾶλλον ἢ λόγῳ τέχνην τινὰ διαπράττεσθαι, πλάττειν μὲν αἱ μέλιτται, θησαυροὺς δέ τινας καὶ λαβυρίνθους δημιουργεῖν οἱ μύρμηκες, νήθειν δὲ καὶ ὑφαίνειν οἱ ἀράχναι. τεκμαίρομαι δὲ τῷ ἀδιδάκτῳ. ἄνθρωπος δ', ὥσπερ τὸ σῶμα γυμνὸς ὅπλων, οὕτω καὶ τεχνῶν τὴν ψυχὴν ἔρημος. διὰ τοῦτ' ἀντὶ μὲν τῆς τοῦ σώματος γυμνότητος τὰς χεῖρας ἔλαβεν, ἀντὶ δὲ τῆς κατὰ τὴν ψυχὴν ἀτεχνίας τὸν λόγον.* . . . Similia adferunt Maximus Tyrius XVI 5: *ἢ τὰ μὲν ἄλλα ζῷα αὐτοδίδακτα πρὸς τὰ αὐτῶν ἔργα καὶ οὐδεὶς εἰπεῖν ἔχει διδασκάλους, οὐ λεόντων πρὸς ἀλκήν, οὐκ ἐλάφων πρὸς φυγήν, οὐχ ἵππων πρὸς δρόμον· ἀλλὰ καὶ ὀρνίθων γένος αὐτοδίδακτον ἐπ' ἄκρων φυτῶν ἐμηχανήσατο καλιάδας αὐτουργῷ τέχνῃ καὶ ἀράχναι αὐτοφυεῖ μίτῳ θήρατρα ἐν ἀέρι καὶ ἑρπετὰ φωλεοὺς καὶ ἰχθύες χηραμοὺς καὶ ὅσαι ἄλλων ζῴων τέχναι πρὸς σωτηρίαν ἑκάστῳ γένει σύμφυτοι, ἀνθρώπῳ δὲ ἄρα τῷ νοερωτάτῳ τῶν ὄντων ἐπίκτητον ἥξει τὸ εἰδέναι*; et Theodoretus de prov. V (Migne 625 A B): *τί τοιοῦτον, φασίν, ἐτεχνάσατο*

τῶν ἀνθρώπων ἡ φύσις, εἰς φοιτητὰς καὶ διδασκάλους διῃρημένη, καὶ πόνῳ πολλῷ καὶ χρόνῳ κατορθοῦσα τὴν τέχνην, οἷα τῶν μελιττῶν τὸ φιλόπονον καὶ φιλόκαλον γένος, οὐκ εἰς διδασκάλους καὶ φοιτητὰς μεμερισμένον, οὐδὲ ἱμᾶσι καὶ ῥάβδοις τὴν τέχνην δεδιδαγμένον, ἀλλ' ἔμφυτον ἔχον καὶ αὐτοδίδακτον τὴν ἀμήχανον ἐργασίαν, ὑφαίνει τε τὰ κηρία, καὶ πληροῖ τὰ δοχεῖα, οὐ μέτρων, οὐ κέντρων, οὐ γωνιῶν δεομένη; et Quintilianus inst. or. II 16, 13 sq.: „Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate praestantiora in illis mutis videmus; eadem minus egere acquisitae extrinsecus opis. Nam et ingredi citius, et pasci, et tranare aquas, citra docentem, natura ipsa sciunt. Et pleraque contra frigus ex suo corpore vestiuntur, et arma iis ingenita quaedam, et ex obvio fere victus; circa quae omnia multus hominibus labor est. Rationem igitur nobis praecipuum dedit . . .“ Ac Plinius vehementer queritur quod cetera animantia vel sine disciplina, quae sint ad vitam necessaria, cognoverint, homines autem multo labore scientiam vivendi assequantur (nat. hist. VII proem.): „Et cetera sentire naturam suam, alia pernicitatem usurpare, alia praepetes volatus, alia vires[1]), alia nare, hominem nihil scire, nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviterque non aliud naturae sponte quam flere.“

Horum autem locorum vis et consilium optime cum

---

[1]) Haec reddo ut in editione Dalecampiana vel vulgata leguntur. Verba alia vires, quae in libris scriptis non exstant (tamen in r leguntur: alia ire) Harduinus primus omisit, quem posteriores editores sunt secuti. Sed cum reputo similes locos, quibus vires, ut summa variorum armorum, sunt celeritati oppositae, suspicor haec verba a codice quodam nobis ignoto ducta esse ac veram Plinii orationem conservare. Cf. praeter Plat. Prot. 320 E et Isocr. Nic. 5 Cic. de nat. deor. II 48, 123: „aut vires natura dedit aut celeritatem“; Sen. de benefic. II 29: „velocitatem corporum et vires“; Lactant. de opific. dei 2, 3: „quae simul et viribus et celeritate indigent“; fab. Babriana, cod. Bodl. 87 (Knöll), no. 155 Crus.: *τῷ μὲν ἀλκήν, τῷ δὲ τάχος, τῷ δὲ πτερά.*

Protagorico illo sermone conveniunt, non hac re solum quod genus humanum et cetera animantia sibi opposita sunt, sed praecipue quia affirmatur quam sit disciplina hominibus ad vitam degendam necessaria. Neque enim aliud consilium habet tota sophistae oratio, nisi ut tollatur ea quam Socrates 319 B excitavit dubitatio, num *πολιτική* disci possit, et diserte asseritur illam sapientiam non naturaliter neque ipsam per se adesse, sed institutione modo acquiri posse 323 C: *ὅτι δὲ αὐτὴν οὐ φύσει ἡγοῦνται εἶναι οὐδ' ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, ἀλλὰ διδακτόν τε καὶ ἐξ ἐπιμελείας παραγίγνεσθαι ᾧ ἂν παραγίγνηται, τοῦτό σοι μετὰ τοῦτο πειράσομαι ἀποδεῖξαι.* Quae cum ita sint, non videntur veritatis specie carere haec quae suspicor, in fonte eo, unde mythi sententiae profectae sunt, non solum explicatum esse, quomodo animalia essent armis effugiisque, tegimentis, alimento melius quam homines a natura instructa, sed hanc quoque inter ea differentiam constitutam esse, quod illa statim a natu facultates suas sentirent, hi autem, nisi disciplinae subsidio adhibito, nihil efficere possent.

Ac vero Pheraulae illa oratio (Cyr. II 3, 9 sqq.), quae clare colorem sophistarum concertationis prae se fert, ad eius modi doctrinam satis evidenter spectare videtur. Nam quamquam ea, quae apud Xenophontem et apud Platonem leguntur, hac re inter se differunt, quod illo loco nisi de pugnandi arte non disseritur, Platonicus autem sophista totam *πολιτικήν* respicit, tamen utroque loco eadem agitur quaestio de fontibus humanae scientiae atque utrum plurimum indoli et naturae appetitibus an disciplinae opibus debeatur. Nec vero praetermittendum est sophistam ipsum dicere bellicam artem partem esse eius quam praedicat *πολιτικῆς* atque in eo contineri 322 B: *πολιτικὴν γὰρ τέχνην οὔπω εἶχον, ἧς μέρος πολεμική.* Ad hanc igitur nimiam disciplinae aestimationem redarguendam ea videntur condita esse, quae Pheraulae illa oratione tradita sunt, sicut cetera animalia natura agnoscerent ea, quibus quaeque instructa essent, tela, ita puerum quoque et manibus se defendere

οὐ διδασκόμενον et cultro adversarium petere *οὐδὲ παρ' ἑνὸς οὐδὲ τοῦτο μαθόντα ὅπως δεῖ λαμβάνειν ἢ παρὰ τῆς φύσεως.*

VII.

In eis, quae antecedunt, de munimentis effugiisque animalium potissimum disputatum est propterea quod Aristoteles in haec imprimis operam impendit. Sed in fonte eo, quem secutus est, alia quoque commoda tractata esse ex enuntiato illo, quod ad verbum fere reddidit 687 a 23, satis elucet. Nam quod de humani generis constructione accusatur, hominem *γυμνόν* et *ἀνυπόδητον* relictum esse, hoc evidenter ad animalium naturales calceos et tegimenta spectat; quin etiam si modo ponimus Platonem pristinam illius sententiae formam conservasse, sequitur de stragulis quoque animalium natura comparatis actum esse. In mythi autem prima parte non minus accurate explicatur, quomodo bestiae his rebus donatae sint, quam telis effugiisque. Quare operae pretium est partitionem mythi observare atque cetera eius membra in disputationem inferre. Ac tripartita exstat munerum divisio: nam primum de praesidiis adversus mutuam caedem agitur, deinde de tutelis contra frigora et calores, post de alimento; quae singula ostenditur bestiis abunde tributa esse, hominibus autem a natura denegata, sed tandem variis artis inventis satis bene comparata. Atque ut harum rerum descriptionem percurramus, primum animalium munimenta effugiaque commemorantur 320 E, homines vero *ἄοπλοι* prodiisse dicuntur 321 C; quam egestatem eos narratur 322 A congregatione et urbibus condendis sublevasse. Quibus in rebus, id quod mirum videtur, nusquam de ferro mentio fit. Deinde exponitur quomodo animalia sint naturaliter vestita, calceata, stragulis instructa 321 A, homines autem *γυμνοί, ἀνυπόδητοι, ἄστρωτοι* praetermissi 321 C, quamobrem *οἰκήσεις καὶ ἐσθῆτας καὶ ὑποδέσεις καὶ στρωμνάς* excogitare coacti sint 322 A. Denique alimenti genera varia enume-

rantur 321 B, quae bestiis singulis in promptu sunt. Sed homines non, ut pro ceteris argumentationis partibus exspectaveris, indigere alimento proprio dicuntur, neque omnino hac in re deploratur humana fortuna. Attamen hanc rem non fuisse ab argumentatione alienam sed admodum huc pertinere, ex eo apparet, quod paulo post 322 A narratur homines *τὰς ἐκ γῆς τροφάς* invenisse. Quare videtur Platonem, cum haec in breviora contraheret, praetermisisse, quae in fonte fuissent de difficultate et inopia primitivorum hominum, qui cibo proprio atque ad eorum naturam accommodato egerent. Quam enarrationem similem fere fuisse credo atque ea quae leguntur in libello de vetere medicina, quod inter Hippocratis scripta exstat c. 3: *ἔτι δὲ ἄνωθεν ἔγωγε ἀξιῶ οὐδ' ἂν τὴν τῶν ὑγιαινόντων δίαιτάν τε καὶ τροφήν, ᾗ νῦν χρέονται, εὑρεθῆναι, εἰ ἐξήρκει τῷ ἀνθρώπῳ ταὐτὰ ἐσθίοντι καὶ πίνοντι βοΐ τε καὶ ἵππῳ καὶ πᾶσιν ἐκτὸς ἀνθρώπου οἷον τὰ ἐκ τῆς γῆς φυόμενα, καρπούς τε καὶ ὕλην καὶ χόρτον. ἀπὸ τούτων γὰρ καὶ τρέφονται καὶ αὔξονται καὶ ἄπονοι διάγουσιν οὐδὲν προσδεόμενοι ἄλλης διαίτης. καί τοι τήν γε ἀρχὴν ἔγωγε δοκέω καὶ τὸν ἄνθρωπον τοιαύτῃ τροφῇ κεχρῆσθαι, τὰ δὲ νῦν διαιτήματα εὑρημένα καὶ τετεχνημένα ἐν πολλῷ χρόνῳ γεγενῆσθαί μοι δοκεῖ. ὡς γὰρ ἔπασχον πολλά τε καὶ δεινὰ ὑπὸ ἰσχυρῆς τε καὶ θηριώδεος διαίτης ὠμά τε καὶ ἄκρητα καὶ μεγάλας δυνάμιας ἔχοντα ἐσφερόμενοι! . . . . . διὰ δὴ ταύτην τὴν αἰτίην καὶ οὗτοί μοι δοκέουσι ζητῆσαι τροφὴν ἁρμόζουσαν τῇ φύσει καὶ εὑρεῖν ταύτην, ᾗ νῦν χρεώμεθα.* Hanc enarrationem ex eodem illo fonte fluxisse suspicor, quem Plato in mytho secutus est.

Similia ac manifesto cognata sunt ea, quae posteriores auctores saepenumero queruntur, bestias sine ulla provisione aut cura sua alimentum habere, sed homines vix multo negotio comparare ea, quae sint ad vitam degendam necessaria; quamquam his quidem locis disertius respiciuntur labores, qui hominibus subeundi sint, quam inopia illa naturalis alimenti. Huius modi sunt haec, quae Philemonis fragmento 88 (II p. 503 sq. Kock) leguntur:

καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις πᾶσιν ἡ γῆ θηρίοις
ἑκοῦσα παρέχει τὴν καθ' ἡμέραν τροφήν,
αὐτὴ πορίζουσ', οὐ λαβοῦσα [σπέρματος
οὐδέν, βροτοῖς δὲ πολὺ λαβοῦσα][1]) *πάνυ μόλις*
ὥσπερ τὸ κατὰ χρέος κεφάλαιον ἐκτίνει
τὸ σπέρμα, τοὺς τόκους δ' ἀνευρίσκουσ' ἀεὶ
πρόφασίν τιν' αὐχμὸν ἢ πάχνην ἀποστερεῖ.

Epicureorum autem sententiam Cicero refert de fin. II 34, 111: „Nos vero, siquidem in voluptate sunt omnia, longe multumque superamur a bestiis, quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios atque abundantes nihil laborantibus, nobis autem aut vix aut ne vix quidem suppetunt multo labore quaerentibus"[2]).

Haec incusatio humanae constitutionis quemadmodum posterioribus saeculis ab Epicureis, Peripateticis, novis qui vocantur Academicis ad varias singulorum sententias confirmandas et illustrandas adhibita esset Eduardus Norden pluribus explicavit[3]) neque opus est hoc loco repetere. Ea tantummodo, quae ex Epicureorum expositione nobis restant, paulo accuratius ideo animadvertenda sunt, quod philosophi huius sectae contra Stoicos disputantes et valde negantes aut deum humanis rebus consulere aut homines primum inter animantes locum obtinuisse, in vestigiis veteris illius enarrationis maxime inhaerent atque etiam singula membra tripartiti illius argumenti identidem reddunt. Exemplum exhibet Lucretius in quinto libro, quo primum explicat vss. 206 sqq. homines multa opera agros colentes non posse nisi magna cum aerumna cibum sibi parare, deinde condicionem hominis infantis, nudi et inermis, cum

---

1) Verba uncis inclusa Meineke addidit ad sensum explendum.

2) Alia exempla adferuntur infra pp. 75, 77.

3) Jbb. f. class. Phil. Suppl. XIX 1893 p. 435 sqq. Suppl. XVIII 1892 p. 305 sqq. Cf. W. Capelle, Zur antiken Theodicee. Arch. f. Gesch. d. Phil. XX 1907 p. 188. De Cynicis cf. G. Thiele, Phaedrus-Studien. Herm. 1906 p. 570 sq.

bestiis, quae naturaliter sint vestibus telisque ornatae, his versibus comparat:

222 „Tum porro puer, ut saevis proiectus ab undis
navita, nudus humi iacet, infans, indigus omni
vitali auxilio, ...
228 At variae crescunt pecudes armenta feraeque
. . . .
231 nec varias quaerunt *vestes* pro tempore caeli,
denique non *armis* opus est, non moenibus altis,
quis sua tutentur, quando omnibus omnia large
tellus ipsa parit naturaque daedala rerum."

Eandem enarrationem cernimus apud Plinium in prooemio septimi naturalis historiae libri, quod iam supra est commemoratum; ubi non solum agit de effugiis munimentisque animalium, quae illa naturaliter et sine disciplina sentiant, sed paulo ante de tegimentis eorum haec dicit § 2: „ceteris varie tegimenta tribuit, testas, cortices, spinas, coria, villos, saetas, pilos, plumam, pinnas, squamas, vellera; . . hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abicit . . . ."[1]).

Atque patrum Christianorum testimonia ut adferam, qui doctrinam Epicuream hoc nimirum consilio reddunt, ut eam impugnent et refutent, Lactantius in libro de opificio dei 3, 1 hanc querelam de condicione hominis tradit: „Queruntur hominem nimis inbecillum et fragilem nasci quam cetera nascantur animalia; quae ut sunt edita ex utero . . . aeri tolerando idonea esse, quod in lucem naturalibus indumentis munita processerint, hominem contra nudum et inermem tamquam ex naufragio in huius vitae miserias proici et expelli . . . ." Eodem ex Epicureo fonte apparet haec provenisse, quae Origenes ex Celsi contra Christianos libris refert (contr. Cels. IV 76.

---

1) Cf. E. Norden, Jbb. f. class. Phil. Suppl. XVIII 1892 p. 305.

Koetschau p. 346, 26): *ἡμεῖς μὲν κάμνοντες καὶ προσταλαιπωροῦντες μόλις τρεφόμεθα· τοῖς δ' „ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται."* De vestitu animalium naturali Origenes nihil ex Celsi scripto tradit, quamquam ipse rem respicit in eis, quae ad adversarium confutandum ex Stoicis fontibus 76 p. 346, 16 profert, de armis autem idem illud argumentum repetit 78 p. 348, 4: *ἀλλὰ καὶ ἡμῖν μὲν ἀρκύων καὶ ὅπλων δεῖ καὶ ἀνθρώπων πλειόνων βοηθῶν καὶ κυνῶν κατὰ τῶν θηρευομένων· ἐκείνοις δ' αὐτίκα καὶ καθ' αὑτὰ ἡ φύσις ὅπλα δέδωκεν εὐχερῶς ἡμᾶς ὑπάγουσα ἐκείνοις.* Neque ad aliam doctrinam spectant quae Gregorius Nyssenus in septimo de hom. op. capite scripsit (Migne 44 p. 140 D): *τί δὲ οὐχὶ συμφυεῖς εἰσιν αἱ πρὸς τὸν βίον δυνάμεις τῷ σώματι; ἀλλὰ γυμνὸς μὲν τῶν φυσικῶν σκεπασμάτων, ἄοπλος δέ τις καὶ πένης ὁ ἄνθρωπος καὶ τῶν πρὸς τὴν χρείαν ἐνδεὴς ἁπάντων ἐπὶ τὸν βίον παράγεται, ἐλεεῖσθαι μᾶλλον ἢ μακαρίζεσθαι κατὰ τὸ φαινόμενον ἄξιος . . . .*

Epicuream eam expositionem, cuius reliquiae his locis traditae sunt, ex Platonico dialogo ultimam originem habuisse longe a probabilitate recedere videtur. Immo vero hac ipsa similitudine, quam cum mytho illo exhibent, confirmari puto sententiam eorum, qui censent narrationem illam non a Platone ipso confictam sed ex priore quodam fonte assumptam esse.

Sed ad Platonicam enarrationem ut redeamus, haec quattuor quae adfert alimenti exempla, *βοτάνη, δένδρων καρποί, ῥίζαι, ζῴων ἄλλων βορά,* non sunt temere orationi inserta, sed consulto et considerate delecta ad quattuor genera animantium indicanda. Quam divisionem Aristotelem cognovisse ex nominibus, quibus passim utitur, *σαρκοφάγων, ποηφάγων, καρποφάγων, ῥιζοφάγων*[1]) colligi potest. Sed multo clarius res apparet in Plutarchi scripto, quo bruta animalia ratione uti affirmat 991 B: *ἑκάστῳ γένει*

---

[1]) Cf. de part. an. III 662 b 1—16; hist. an. VIII 595 a 13—16.

ζῴου μία τροφὴ σύμφυλός ἐστι, τοῖς μὲν πόα, τοῖς δὲ ῥίζα τις ἢ καρπός· ὅσα δὲ σαρκοφαγεῖ πρὸς οὐδὲν ἄλλο τρέπεται βορᾶς εἶδος κτλ. Haec genera cibi, quamvis cum Platonicis plane congruentia, neque Aristotelem nec Plutarchum ex Protagora dialogo prompsisse eo perspicuum est, quod non, ut Plato, *βοτάνην* vocem usurpant sed *πόην*; quas voces eandem habere vim Hesychius testis est, qui scribit: *πόα· βοτάνη ἑκάστη.*

Ad eandem autem divisionem spectat Maximus Tyrius in tricesima quinta oratione c. 7: ... *τὰ σαρκοφάγα, τὰ ποηφάγα, τὰ καρποφάγα κτλ.* et Plutarchus cum in libello, quo quaeritur aqua an ignis sit utilior 956 C: *καὶ βίος αὐτοῖς νεμομένοις, ἱπταμένοις, ἕρπουσιν, ἀπὸ ῥιζῶν καὶ καρπῶν καὶ σαρκῶν ἄνευ πυρός,* tum in scripto de tranquillitate 473 A: *ὡς γὰρ τῶν θηρίων ἑτέροις ἀφ᾽ ἑτέρων παρεσκεύασε τὴν τροφὴν εἶναι καὶ οὐ πάντα σαρκοφαγεῖν ἢ σπερμολογεῖν ἢ ῥιζωρυχεῖν ἐποίησεν* . . . Hoc loco novum commemoratur genus animalium, quod *σπερμολογεῖν* dicitur; quod idem Plutarchus respicit in libello de audiendis poetis 30 D: *ἡ μὲν μέλιττα διώκει τὸ ἄνθος, ἡ δ᾽ αἲξ τὸν θαλλόν, ἡ δ᾽ ὗς τὴν ῥίζαν, ἄλλα δὲ ζῷα τὸ σπέρμα καὶ τὸν καρπὸν κτλ.* et Galenus quoque in quarto de usu part. hum. corp. c. 7 (p. 202, 23 Helm.): *ἢ βοτάναις*[1]) *ἢ σπέρμασιν ἢ ἀκροδρύοις ἢ ζῴων ἑτέρων τρέφεσθαι σαρξί.* . .

Cum alimentorum variorum mentione res est in mytho coniuncta, quam Herodotus quoque adfert, auctor eiusdem, ut videtur, aetatis ac scriptor ille, ex quo Plato hausit.

Plat. Prot. 321 B.	Herod. III 108.
καὶ τοῖς μὲν ὀλιγογονίαν προσῆψε, τοῖς δ᾽ ἀναλισκομένοις ὑπὸ τού-	*καί κως τοῦ θείου ἡ προνοίη, ὥσπερ καὶ οἰκός ἐστι, ἐοῦσα σοφή, ὅσα μὲν [γὰρ] ψυχήν τε δειλὰ καὶ*

---

1) In his cum Galenus *βοτάνη* voce utatur, dividit III 2 p. 128, 19 (Helm.) animalia in *ποηφάγα* et *σαρκοφάγα*.

των π ο λ υ γ ο ν ί α ν, σωτηρίαν τῷ γένει πορίζων.	*ἐδώδιμα, ταῦτα μὲν πάντα π ο λ ύ γ ο ν α πεποίηκε, ἵνα μὴ ἐπιλίπῃ κατεσθιόμενα, ὅσα δὲ σχέτλια καὶ ἀνιηρά, ὀ λ ι γ ό γ ο ν α.*

Quibus locis cum sententia eadem sit, oratio tamen magnam habet discrepantiam et consilia scriptorum prorsus diversa ac paene contraria sunt. Nam in mytho cura, quae sit in bestias instruendas impensa, propterea commemoratur, ut hominum inopia et egestas magis conspiciatur, Herodotus autem providentiam eam praedicat, quae hominibus non minus quam animalibus consuluerit. Has enim in cogitationes adductus est eis quae narrat de noxiis in Arabia anguibus, qui admirabili naturae provisione matres statim nati interficiant, unde fiat ut hoc genus anguium non admodum augeatur nec regio illa hominibus inhabitabilis sit. Atqui Herodotum tantopere consilium eius, quo usus est, fontis mutavisse haud probabile est. Non igitur verisimile est Herodotum ex scriptore illo, quem Plato secutus est, hausisse. Si quis autem hunc scriptorem putabit ex Herodoti historiis hanc sententiam duxisse, non habeo quod contra dicere possim. Sed multo mihi videtur verisimilius et Herodotum et alterum illum ex communi quodam fonte rem sumpsisse atque ad suam utrumque rerum interpretationem illustrandam adhibuisse.

Atque ut hanc rem in libris posteriorum auctorum persequamur, Aristotelem eam non ignorasse apparet ex eis quae scribit de piscibus in sexto hist. an. libro 570b 29: *πολυγονώτατον δ' ἐστὶ τῶν ἰχθύων μαινίς, τῶν δὲ σελαχῶν βάτραχος· ἀλλὰ σπάνιοί εἰσι διὰ τὸ ἀπόλλυσθαι ῥᾳδίως· τίκτει γὰρ ἀθρόα καὶ πρὸς τῇ γῇ. ὅλως δ' ὀλιγογονώτερα μέν ἐστι τὰ σελάχη διὰ τὸ ζῳοτοκεῖν, σώζεται δὲ μάλιστα ταῦτα διὰ τὸ μέγεθος.* Galenus quoque similia adfert de usu part. corp hum. XIV 4 (p. 291, 2 Helmr.): *προνοουμένη γὰρ ἡ φύσις,*

ὅπως ἂν μὴ ζῴου τι γένος ἀφανισθείη μηδενός, ὅσα διὰ τὴν τοῦ σώματος ἀσθένειαν ἤτοι βραχυχρόνια τελέως ἢ βορὰ τοῖς ἰσχυροτέροις ἔμελλε γενήσεσθαι, τούτοις ἅπασιν ἴαμα τῆς συνεχοῦς φθορᾶς ἐξεῦρε τὴν πολυγονίαν, et Lactantius de opific. dei II 5: „Si qua vero in praedam maioribus cedunt, ne tamen stirps eorum funditus interiret, aut in ea sunt religata regione, ubi maiora esse non possunt, aut acceperunt uberem generandi fecunditatem, ut et bestiis quae sanguine aluntur, victus suppeteret ex illis et inlatam tamen cladem ad conservationem generis multitudo ipsa superaret." Atque cum aliae similes res, quae apud Aristotelem, Galenum, Lactantium leguntur, non ex mytho Platonico sed ex scripto quodam priore originem duxisse videantur, haec quoque ex eodem illo fonte profecta esse pro verisimili habeo. Basilius contra quae in Hexemero IX 5 (Migne 29 p. 200 A) scribit ex Herodoti historiis manifesto sumpsit.

De tegimentis animalium non habeo multum quod dicam. Nam ex duobus eis, quae Plato 321 A discernit, generibus, *πυκναῖς τε θριξὶ καὶ στερεοῖς δέρμασιν*, prorsus nihil concludi potest. Ac recentiores scriptores, quamquam haud raro hunc locum attingunt, tamen plurimi inter se non conspirant neque ad eam de qua agimus quaestionem quidquam adferunt; id quod satis apparet ex his quae appono: Cic. de nat. deor. II 47, 121: „Quarum aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae; pluma alias, alias squama videmus obductas . . ."

Plin. nat. hist. VII prooem. 2: „. . ceteris varie tegimenta tribuit, testas, cortices, spinas, coria, villos, saetas, pilos, plumam, pinnas, squamas, vellera."

Lactant. de op. 7, 2: „. . . . quam (pellem) vel sola pulchritudine decoravit vel setis adoperuit vel squamis munivit vel plumis insignibus adornavit."

Plut. de fort. 98 D: . . . *ἠμφίεσται φολίσι καὶ λάχναις* . . .

Orig. contr. Cels. IV 76 (Koetschau p. 346, 24): *τετρίχωται γὰρ ἢ ἐπτέρωται ἢ πεφολίδωται ἢ ὠστράκωται.*

Nemes. de nat. hom. 17: . . . *οὐ περιέθηκεν ἡμῖν οὔτε δέρμα παχύ, ὡς τοῖς βουσὶ καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς παχυδέρμοις, οὔτε τρίχας μεγάλας καὶ πυκνάς, ὡς ταῖς αἰξὶ καὶ τοῖς προβάτοις καὶ λαγωοῖς, οὔτε φολίδας ὡς τοῖς ὄφεσι καὶ τοῖς ἰχθύσιν, οὔτε ὄστρακα, ὡς ταῖς χελώναις καὶ τοῖς ὀστρέοις, οὔτε ἁπαλόστρακα, ὡς τοῖς καράβοις, οὔτε πτέρυγας ὡς τοῖς ὀρνέοις.*

Basil. in Isaiam I 6 (Migne 128 B): *τὰ ἐκ τριχῶν καὶ πτερῶν ἐνδύματα . . .*

Restat ut inquiramus quaenam ratio intercesserit inter hanc incusationem structurae humanae et laudes eas, de quibus prius est expositum. Namque tam contrarias ac valde oppositas sententias, quippe quae eadem de re et iisdem fere temporibus exstarent, sine ulla inter se ratione fuisse vix putabitur. Utrum igitur ducamus hanc disceptationem primum movisse, obtrectatorem illum an alterum eum, qui grato animo sortem hominis laudibus celebravit? Atque uter, hac prima disputatione excitatus, in contrariam partem respondit et adversarii argumenta refellere conatus est? Hanc ad rem statuendam si quis animum intenderit in locos eos, quibus vestigia huius controversiae tradita sunt, fieri non poterit quin cernat laudationis reliquias omnes esse ardore quodam contentionis tinctas, ac nonnullas etiam plane adversus querelas illas prolatas esse, ut quae ad eas redarguendas et aptae essent et admodum sufficerent. Etenim Aristoteles, ut eos confutet, qui homines affirmaverunt deterrime omnium animalium constitutos esse, satis habet manuum utilitates praedicare 687 a 23; quae membra paulo ante demonstravit cum statu erecto finitima et necessaria ratione conexa esse. Atque ad Xenophonteas illas disputationes ut pergamus, is color controversiae, quem Duemmler hic notavit p. 111, vix ea re satis explicatur, quod providentia divina in universum contra adversarios defenditur. Immo sedulitatem eam si perpenderis, qua varia humanae formae commoda exponuntur, vehementiam, qua homines bestiis admodum praestare affirmatur, facile commovearis, ut cre-

das hanc praestantiam ab adversario negatam esse. Accedit quod sermo, qui habetur ab Chrysanta in quarto Cyropaediae libro 3, 16 sqq. de arte equestri, quem cum hac disputatione proxima necessitudine coniunctum esse iam supra vidimus, initium inde capit, quod humanum genus et celeritate et viribus ab aliis animalibus superatur. Atqui hoc ipsum est quod obtrectator ille summa ope nixus est demonstrare. Cui infirmitati Xenophon opponit hominis intellegentiam atque conformationem corporis manibus instructi, quibus equum domuerit et ad usus suos converterit[1]). Haec igitur non ante incusationem illam humanae

---

[1]) Haec eadem argumentatio frequenter apud posteriores auctores invenitur, velut

Galen. de usu part. corp. hum. I 2, p. 2, 24 Helmr.: *ἀλλ' ὠκύτερος ἀνθρώπου λέων. τί δὲ τοῦτο; ἄνθρωπος γὰρ ἵππον ἐδαμάσατο σοφίᾳ καὶ χερσίν, ὠκύτερον λέοντος ζῷον, ᾧ χρώμενος καὶ ὑποφεύγει καὶ διώκει λέοντα καὶ καθεζόμενος ἀφ' ὑψηλοῦ βάλλει τὸν ταπεινόν.* Cf. III 1 p. 123, 18.

Greg. Nyss. de hom. op. VII 141 B (Migne 44): *εἰ γὰρ οὕτω δυνάμεως εἶχεν ὁ ἄνθρωπος ὡς τῇ μὲν ὠκύτητι παρατρέχειν τὸν ἵππον, ἄτριπτον δὲ ὑπὸ στερρότητος ἔχειν τὸν πόδα, ὁπλαῖς τισι ἢ χηλαῖς ἐρειδόμενον, κέρατα δὲ καὶ κέντρα καὶ ὄνυχας ἐν ἑαυτῷ φέρειν· πρῶτον μὲν θηριώδης τις ἂν ἦν καὶ δυσάντητος, τοιούτων αὐτοῦ τῷ σώματι συμπεφυκότων. ἔπειτα δὲ παρεῖδεν ἂν τὴν τῶν ἄλλων ἀρχήν, οὐδὲν τῆς συνεργίας τῶν ὑποχειρίων δεόμενος. νυνὶ δὲ τούτου χάριν ἐφ' ἕκαστον τῶν ὑπεζευγμένων ἡμῖν αἱ τοῦ βίου χρεῖαι κατεμερίσθησαν, ὡς ἀναγκαίαν ποιεῖν τὴν κατ' ἐκείνων ἀρχήν. τὸ μὲν βραδὺ τοῦ σώματος δυσκίνητον τὸν ἵππον τῇ χρείᾳ προσήγαγέ τε καὶ ἐδαμάσατο κτλ.*

Iohann. Chrys. ad pop. Antioch. XI 4 p. 124 (Migne 49): *ταχύτερον μὲν γὰρ ἵππος ἀνθρώπου ἀλλ' εἰς ἀποδημίας τάχος ἐπιτηδειότερον ἄνθρωπος ἵππου· ἵππος μὲν γὰρ κἂν πάντων ὀξύτατος καὶ ἀλκιμώτατος ᾖ, μόλις διακοσίους δραμεῖται τῆς ἡμέρας σταδίους· ἄνθρωπος δὲ ὑποζεύξας ἵππους ἐκ διαδοχῆς πολλοὺς καὶ δισχιλίους δυνήσεται σταδίους διανύσαι. ὥστε ὅπερ ἐκείνῳ τὸ τάχος, τούτῳ ὁ λογισμὸς καὶ ἡ τέχνη παρέσχε μετὰ πλείονος τῆς ὑπερβολῆς· οὐκ ἔχει μὲν γὰρ πόδας ἰσχυροὺς ὁ ἄνθρωπος, ὥσπερ ἐκεῖνος, ἔχει δὲ τοὺς ἐκείνου τῶν ἑαυτοῦ οὐκ ἔλαττον αὐτῷ διακονουμένους.*

constitutionis scripta esse dixeris, sed postea atque hoc consilio, ut eam refelleret. Denique in Supplicibus Euripideis iam vidimus Theseum, benignitatem divinam vindicaturum, a sententia adversarii cuiusdam orsum esse, qui miseram hominum sortem deploravit[1]); ad quem refutandum is illa, quae insequuntur, beneficia enumerat. Quae cum ita sint, satis credo elucere rem ita se habere, ut illa de excellentia humanae structurae expositio post et adversus alteram illam conscripta sit qua bestiarum constitutio pro meliore esset habita.

---

[1]) Adversarium eum, qui respiceretur, Prodicum fuisse Welcker primus coniecit (Kl. Schr. II p. 509); quam opinionem Bergk (Griech. Lit.-Gesch. III p. 473) ac nuper Gomperz (Griech. Denk. I p. 344) et Nestle (Eurip. d. Dicht. d. griech. Aufklär. pp. 66. 424) comprobaverunt. Sed unum ac solum huius coniecturae fundamentum tristis ille vitae conspectus est, quem Socrates in Axiocho dialogo 366 C sqq., tamquam ex Prodici quadam oratione ductum, profert; qui tamen non sine dubitatione ad Prodicum ipsum referri potest. Non desunt enim indicia, quibus adducti viri docti censuerint auctorem huius dialogi non reddidisse Prodici scriptum sed nomine tantum sophistae usum esse, argumenta autem ei assignavisse, quae ipsius temporibus pervulgata essent. Cf. Heinze, Ber. d. sächs. Gesell. d. Wiss. 1884 p. 332; Rohde, Psyche [2], Freiburg 1898 II p. 247; Feddersen, Ueber d. ps.-plat. Dial. Axioch., Cuxhaven 1895 p. 29 sq.; Wilamowitz, Gött. gel. Anz. 1895 p. 977 sqq.; Brinkmann, Rh. Mus. 1896 p. 444 sqq.; Diels, Vorsokr.[2] 77 B 9 p. 572. Neque ea, quae Gomperz l. l. p. 467 et Immisch (Phil. Stud. zu Plat. I, Leipz. 1896 p. 52 sqq.) ad auctoritatem sophistae confirmandam adferunt, mihi persuaserunt. Non igitur causa est, cur Axiochi locum illum ad hos versus Euripideos interpretandos adhibeas. Accedit quod ea, quae Theseus adversario respondet minime ad res in Axiocho commemoratas accommodata esse videntur. Non enim ita refutantur querelae de molestiis, quibus homines variis inde ab infantia aetatibus perturbentur, ut ostendatur eos intellegentia, sermone, alimento, artis inventis paratos esse. Quod idem dici potest contra coniecturam, quam Feddersen p. 30 pro illa substituere vult; Antiphontem enim sophistam adversarium fuisse putat, fragmentis quibusdam (Diels 80 B 49, 51, 66) adductus, quibus molestiae vivendi enumerantur. Sin autem ponimus maximum fere eorum, quae essent deplorata,

VIII.

De auctore eius argumenti, quod in mytho illo continetur, complures viri docti sententias protulerunt. Quorum plerique[1]) hac re adducti, quod Protagoras haec proferens inducitur, illum sophistam statuerunt ea invenisse. Et quamquam non defuerunt, qui, huic opinioni repugnantes, contenderent morem tantum sophistae et dicendi genus in mytho depictum esse, res autem, quae exponerentur, a Platone ipso fictas esse[2]), haec sententia neque umquam vulgo est comprobata, neque qui perpenderit res similes et easdem, quae nostra in disquisitione ex Aristotele et posterioribus auctoribus allatae sunt, dubitabit, quin Plato non sua ipsius hoc loco praebeat sed ex fonte quodam argumentum duxerit. Atque quoniam optime cum Protagorae temporibus conveniunt ea contro-

---

malorum imbecillitatem fuisse structurae hominum, qui non essent, ut cetera animalia, naturaliter armis, tegimentis, cibo proprio et peculiari instructi, illa defensio perspicua est ac dilucida. Nam quamquam aliqua beneficia commemorantur, quae bestiis cum hominibus communia sint, velut terrae fructus et imbres, tamen praecipue praedicantur res, quibus humanum genus reliquis animantibus praestet, intellegentia scilicet, sermo, artes. Atque eius modi hominum cum bestiis comparationem, quamvis his versibus non sit distincte expressa, tamen in argumento ipso inhaerere inde apparet, quod exempla ea, quae prima adferuntur, intellegentia et sermo, aliis locis ad praestantiam humani generis vindicandam usurpantur. Atque Euripides ipse in Troadum vss. 671 sq. dicit:

καίτοι τὸ θηριῶδες ἄφθογγόν τ' ἔφυ
ξυνέσει τ' ἄχρηστον τῇ φύσει τε λείπεται.

Et Xenophon Oec. XIII 8 haec praebet: *καὶ τὰ κυνίδια δὲ πολὺ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῇ γνώμῃ καὶ τῇ γλώττῃ ὑποδεέστερα ὄντα . . .*

[1]) Frei, Quaest. Protag. (Bonn 1845) p. 182. Bergk, Gr. Lit.-Gesch. IV p. 441. Zeller, Phil. d. Gr. 1 [5] p. 1120. Duemmler, Proleg. zu Platons Staat p. 29 adn. = Kl. Schr. I p. 183.

[2]) Sauppe, Protag. edit. [4] (Berl. 1884) p. 19. Gomperz, Griech. Denk. II p. 252.

versiae indicia, quae in Supplicibus Euripideis inveniuntur, consentaneum est Abderitam ipsum pro auctore habere, nisi gravia argumenta hoc dissuadebunt.

Eius igitur sententiam, qui nuper censuit Platonem hac in enarratione non Protagoram sed alium quendam scriptorem respicere, nunc examinemus. Joël enim in priore volumine illius de Socrate libri[1]) eam sophistae effigiem, quam in Protagora dialogo verbis expressam videmus, non esse ipsius Protagorae imaginem existimavit sed potius Antisthenis quasi personam, quem Plato impugnare et deridere voluisset. Ac postea p. 549 in mytho ipso tractando laudavit illam quidem Zelleri opinionem, qui conclusisset orationem, quam sophista in dialogo proferret, ex vetustiore quodam auctore haustam esse, sed similitudine ea adductus, quam percepit inter posteriorem mythi partem et Xenophonteas illas disputationes, hunc auctorem credidit non Protagoram ipsum sed Antisthenem fuisse. In secundo autem volumine, quod annis octo post editum est, alteram sententiam, quam adtulit de Antisthenis effigie hoc dialogo depicta, p. 467 sqq. iterat, sed alteram, quae fuit de mythi compositione, nonnihil, ut videtur, mutavit et retractavit. Etenim lineas tantum universas, quibus res adumbraretur, putat ex Antisthenico exemplo tralatas esse, argumentum autem pristinum a Platone deformatum esse atque in contrarium sensum conversum; Antisthenem enim docuisse homines primas in mundo habere partes et reliqua horum ad utilitatem constituta esse; sed Platonem, hanc sententiam ut ludificaret, illam Epimethei personam in mythum inseruisse, qui ceteris animalibus optime consuleret, homines autem prorsus destitutos et egentes praetermitteret; cui Platonico ludibrio ut responderent, Cynicos edidisse scriptum illud, cuius reliquiae in sexta Dionis Chrysostomi oratione §§ 21—33 exstarent.

Quae vir doctus de persona, quae sit in dialogo de-

---

[1]) Der echte und der xenophont. Sokr. I p. 357 sqq.

picta, profert, fretus multis indiciis minutis, quae confiteor mihi quidem videri non magis ad Antisthenem quam ad Protagoram quadrare, cum non sint vulgo comprobata[1]) neque ad nostram quaestionem proxime attineant, mittere licet[2]), de mytho autem ipso paulo uberius dicendum est. Argumenta igitur excutiamus, quibus nixus negat eum ex Protagorae libro profectum esse. Et primum quidem quaerit, quo tandem consilio Plato narrationem sophistae iam pridem mortui repetat, praesertim quam nec reprehendat, sicut Lysiae orationem illam, quam in Phaedro pertractet, nec sibi ipse asciscat, velut Xenophon in commentariorum II 1, 21 sqq. eam Prodiceam narrationem in suum verterit usum. Putat enim, ut videtur, his in dialogis Platonem nihil fere egisse, nisi ut sententias adversariorum eiusdem temporis impugnaret. At hoc minime credo, et quamvis eum plerumque aequales respexisse facile concedam, tamen non possum mihi persuadere ab indole eius abhorruisse imaginem vetustioris auctoris depingere ac sententias eius repetere, praesertim tam graves et subtiles,

---

[1]) Cf. Zeller, Archiv f. Gesch. d. Phil. VII p. 111. Duemmler, Berl. ph. Woch. 1893 p. 198.

[2]) Haec fortasse notare operae pretium est. Quaestionem eam, num virtutem discere possimus, quam Joël censet indicium esse Socraticorum scriptorum et imprimis Antisthenis, haudquaquam eorum propriam fuisse sed iam quinto saeculo studiose esse disceptatam plane apparet ex nonnullis locis Euripideis, quibus eadem attingitur. Atque ad Platonicos locos proxime accedunt Supplicum vss. 913 sqq.:

ἡ δ' εὐανδρία
διδακτός, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
λέγειν ἀκούειν θ' ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.

Cf. Hipp. 79 sq. 920 sqq.; Hec. 592 sqq.; Electr. 368 sqq. Ne in ea quidem re possum viro docto assentiri quod dicit vocibus illis et tralationibus ex palaestra sumptis 316 D 335 A 350 E etc. Antisthenem potissimum significatum esse. Eadem enim res iam in Philoctete Sophocleo obvenit v. 431:

σοφὸς παλαιστὴς κεῖνος· ἀλλὰ χαἰ σοφαὶ
γνῶμαι, Φιλοκτῆτ', ἐμποδίζονται θαμά.

quas neque Aristoteles pertractare nec posteriores philosophi per saecula disceptare abnuerint. Deinde Joël exponit religionem eam et sacra Minervae et Vulcani, quae sint in mytho una cum Prometheo celebrata, Atticum exhibere colorem; item educationem puerorum, quae sit in posteriore orationis parte descripta, Atheniensium propriam fuisse; quas res a peregrino scriptore prolatas esse non verisimile esse. Hoc autem argumentum haud persuadebit eis, qui historias Herodoteas recordentur; quae, quamvis a Halicarnasseo conscriptae, mirum quam mores et consuetudines Athenienses illustrant. Porro vir doctus censet illud genus ratiocinandi, quo exponatur partes animalium consulto esse ad vitam tutandam comparatas, a Protagora alienum fuisse, Antisthenis autem proprium et peculiare. At tamen eiusmodi cogitationes Protagorae iam temporibus haudquaquam inauditas fuisse manifesto apparet ex illo Herodoti loco III 108, quo fecunditas animalium his rationibus explicatur. Ac ne Antisthenem ducas pro inventore huius argumenti, id potissimum obstat, quod indiciis eis, quae ex Supplicibus Euripideis collegimus, si fidem habeas, hanc controversiam iam diu ante Cynici aetatem exstitisse putandum est[1]). Sed ut nomen auctoris

---

[1]) Prometheum in Antisthenico Hercule partes egisse ex fragmento Antisthenico collectum est, quod in Themistii de virtute oratione § 33 (Rh. Mus. 27, p. 450) exstat. Hoc loco Prometheus inducitur cum Hercule loquens et eum vituperans, quod humanas res persequatur, coelestes autem neglegat et despiciat. Haec autem quomodo sint intellegenda, valde dubium est. Nam mirum est primum quod Hercules, quem constat Cynicos praecipue coluisse, hunc in modum reprehenditur, deinde quod Prometheus, qui in sexta illa Dionis oratione, quae Cynicam doctrinam redolet, ut corruptor humani generis §§ 25, 29 incusatur, Herculem corrigit. Hanc rem Joël ita expedire conatur, ut coniciat Prometheum in Antisthenico libro magistrum fuisse Herculis, his Plutarcheis nixus (de E apud Delphos 387 D): *ὁ δ' Ἡρακλῆς, οὔπω τὸν Προμηθέα λελυκὼς οὐδὲ τοῖς περὶ τὸν Χείρωνα καὶ Ἄτλαντα σοφισταῖς διειλεγμένος ἀλλὰ νέος ὢν καὶ κομιδῇ Βοιώτιος, ἀναιρῶν τὴν*

temporaque, quibus floruerit, mittamus ac rationem tantum respiciamus, quae intercesserit inter argumentum illud, quod ad infirmitatem humani generis declarandam excogitatum est et alterum, quo structura hominum est laudata, illud post hoc atque contra hoc compositum esse, omnia quae restant vestigia prohibent ne credas. Immo ex indiciis eis, quae apud Aristotelem, Xenophontem, Euripidem supra p. 81 sqq. invenimus, multo rectius concludas descriptionem eam opportunitatum singularum, quae ex statu erecto et sermonis facultate consequuntur, hoc potissimum consilio prolatam esse, ut querelae illae refellerentur.

Quae cum ita sint, sententiam eorum, qui Protagoram ipsum pro auctore huius expositionis habent non infirmatam esse puto. Quin etiam hac in quaestione persequenda duo indicia mihi occurrerunt, quae sophistae auctoritatem corroborare viderentur, parva illa quidem neque admodum certa, sed in tanta exiguitate rerum non spernenda. Aristoxeni enim iudicium traditum est, qui dixit Platonis rem publicam fere totam exstare in Protagorae libro qui *Ἀντιλογικά* inscriberetur (Diog. Laert. III 37, Diels Frg. 74 B 5). Qua sententia nemo dubitabit quin vera ratio, quae inter libros illos intercessit, multum sit exaggerata et depravata. At tamen ea quae apud Platonem leguntur de urbe simplici, quam Socrates primam depingit, ad mythum in Protagora narratum multis modis accedunt.

διαλεκτικήν . . . ἐπεὶ προϊὼν γε τῷ χρόνῳ καὶ οὗτος ἔοικε μαντικώτατος ὁμοῦ γενέσθαι καὶ διαλεκτικώτατος. Sed haec explicatio, quae primo obtutu videtur nodum expedire, vereor ne spem fallat. Plutarchum enim hoc loco non Antisthenicum Herculem, ut Joël vult, respicere, sed vetustiorem illum, quem Herodorus Heracleensis depinxit, satis perspicuum est ex fragmento Herodori, quod exstat apud Clem. Alex. Str. I 15, 73 (F. H. G. II frg. 24): *Ἡρόδωρος δὲ τὸν Ἡρακλέα μάντιν καὶ φυσικὸν γενόμενον ἱστορεῖ παρὰ Ἄτλαντος τοῦ βαρβάρου τοῦ Φρυγὸς διαδέξασθαι τοὺς τοῦ κόσμου κίονας κτλ.*

Nam primum propter egestatem hominum urbes conditae esse dicuntur 369 B: *γίγνεται . . . πόλις . . . ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής.* 369 C *ποιήσει δὲ αὐτήν, ὡς ἔοικεν, ἡ ἡμετέρα χρεία.* Res autem, quibus homines egere feruntur, eaedem sunt atque in mytho, 369 D *πρώτη γε καὶ μεγίστη τῶν χρειῶν ἡ τῆς τροφῆς παρασκευή . . . δευτέρα δὴ οἰκήσεως, τρίτη δὲ ἐσθῆτος καὶ τῶν τοιούτων.* Sutor quoque inter artifices commemoratur 369 D. Et stragula non esse praetermissa (372 B) iam supra vidimus. Quae res omnes similiter in mytho inveniuntur. Narratur autem non omnes ad varia artificia exercenda pariter esse aptos 370 B: *φύεται ἕκαστος οὐ πάνυ ὅμοιος ἑκάστῳ, ἀλλὰ διαφέρων τὴν φύσιν, ἄλλος ἐπ' ἄλλου ἔργου πρᾶξιν.* Atqui hoc est ipsum, quod Platonicus ille sophista mytho eo, quem narrat, illustrare vult. Docet enim *αἰδῶ* et *δίκην* aequaliter hominibus distributas esse, neque ita ut artificia 322 C: *νενέμηνται δὲ ὧδε· εἷς ἔχων ἰατρικὴν πολλοῖς ἱκανὸς ἰδιώταις, καὶ οἱ ἄλλοι δημιουργοί.* Hanc similitudinem cum animadverto, suspicor vestigia in mytho conservata esse eius operis, quod Plato in libris, quos de republica scripsit, compilasse dicitur.

Alterum autem indicium inde duco, quod et Euripides in Supplicibus et Xenophon divinationis artem eximie laudant atque eos reprehendunt, qui eam repudient et contemnant. Quam ob rem verisimile est scriptorem illum, cui adversentur, fidem divinationis in dubitationem vocasse. Ac vero coniectura credibili collectum est Protagoram in libro, qui *Καταβάλλοντες* inscriptus erat, oraculorum fidem impugnasse. Herodotus enim in octavo historiarum libro c. 77, quo proelium ad Salamina commissum pertractat, Bacidis quoddam oraculum laudat, quod proelium illud praesagire visum sit: *χρησμοῖσι δέ,* inquit, *οὐκ ἔχω ἀντιλέγειν ὡς οὐκ εἰσὶ ἀληθέες, οὐ βουλόμενος ἐναργέως λέγοντας πειρᾶσθαι καταβάλλειν, ἐς τοιάδε πρήγματα ἐσβλέψας.* Deinceps oraculo iam prolato adiungit: *ἐς τοιαῦτα μὲν . . . καὶ οὕτω ἐναργέως λέγοντι Βάκιδι ἀντιλογίης χρησμῶν πέρι*

οὔτε αὐτὸς λέγειν τολμέω οὔτε παρ' ἄλλων ἐνδέκομαι. His extremis, quae scribit, *οὔτε παρ' ἄλλων ἐνδέκομαι*, apparet certum quendam hominem designatum esse, atque cum verbo illo, quo usus est, *καταβάλλειν* librum illud Protagorae respicere et in memoriam revocare videatur, magna cum probabilitate L. Radermacher[1]) collegit illum sophistam hoc loco indicari. Et cum haec de oraculis dubitatio optime conveniat cum animi habitu, quem Xenophon reprehendit, hac ex coniectura credo nonnihil confirmationis accedere ei suspicioni, quae hac in disquisitione orta est, Protagoram auctorem fuisse eius doctrinae, quae tam acriter illis disputationibus impugnaretur.

Si quis autem forte obiciat librum eum, quem Aristoxenus commemoraret, *Ἀντιλογικά*[2]) inscriptum fuisse, Herodotum autem ad *Καταβάλλοντας* quosdam spectare, ne hoc quidem adeo valet ut haec indicia reicias. Nam sicut constat hunc librum non solum *Καταβάλλοντας* sed etiam *Ἀλήθειαν* appellatum esse[3]), ita non improbabile mihi videtur, verba illa reputanti, quae bis hoc Herodoteo loco obveniunt, *οὐκ ἔχω ἀντιλέγειν, ἀντιλογίης χρησμῶν πέρι*, hunc eundem esse indice illo *Ἀντιλογικῶν* vel *Ἀντιλογιῶν* designatum[4]). Neque etiamsi malis credere diversos libros his nominibus significatos esse, incredibile est auctorem illum, quem Xenophon secutus est, contra eiusdem scriptoris sententias in diversis libris prolatas pugnavisse.

---

1) L. Radermacher, Eur. u. d. Mantik. Rh. Mus. 53 p. 501.

2) Haec *Ἀντιλογικά* eadem esse atque illae *Ἀντιλογίαι*, quas Diogenes Laertius IX 55 commemorat, perspicuum est. Cf. Diels 74 A 1, 74 B 5.

3) Cf. J. Bernays, Rh. Mus. VII 1850 p. 465 = Gesamm. Schr. I p. 118 et Diels 74 B 1.

4) Iam pridem Bernays l. l. p. 466 sq. coniecit *Καταβάλλοντας* et *Ἀντιλογίας* unum atque idem esse opus, hac re nixus quod nulla est *Καταβαλλόντων* mentio in catalogo eo scriptorum Protagorae, quem Diogenes adfert IX 55. Hunc autem catalogum non integrum sed truncatum esse monet Diels (Vorsokr.[2] p. 526, adn. ad 26).

Conclusio.

Reliquum est ut ea, quae hac ex disquisitione comperta esse mihi videntur, breviter comprehendam. Vidimus igitur controversiam eam, quam constat Stoicos et Epicureos ac postea alias varias philosophorum familias de humani corporis perfectione aut imbecillitate egisse, multo prius sophistarum iam aetate eodem modo animos hominum exercuisse; quin etiam singula argumenta, quae utraque ex parte sunt allata, maximam partem tum quoque non aliter ac posterioribus temporibus esse instructa et composita. Atque incusationis et querelae, quae de hominum constructione facta est, reliquiae exstant cum in mytho eo, quem Plato Protagorae dialogo inseruit, tum locis quibusdam Aristotelii de partibus animalium libri, qui eodem ex fonte originem habuisse videntur. Quae autem ad excellentiam humanae structurae vindicandam sunt responsa, non solum in Xenophontis illa disputatione, qua Socrates cum Aristodemo colloquitur (I 4), adumbrata sunt, sed etiam locis quibusdam ipsius huius libri Aristotelici referuntur, qui cum Xenophonteis illis sententiis proxime congruunt. Praeterea eiusdem argumenti vestigia in variis Platonicis dialogis cerni possunt. Neque omnino desunt indicia, quibus tempus, quo haec controversia exstiterit, fere statui possit. Namque altera et cognata disputatio, qua Xenophon de providentia agit (IV 3), tantam exhibet convenientiam cum versibus quibusdam Supplicum Euripidearum, ut vix possit dubitari quin uterque auctor eandem enarrationem reddiderit. Quamobrem si modo conceditur has Xenophontis disputationes, quae multis similitudinis vinculis inter se coniunctae sunt, eodem ex fonte profectas esse, terminus adest ante quem ortus huius certaminis ponendus sit. Quod attinet ad nomina auctorum

qui haec argumenta invenerunt eruenda, haud improbabilis videtur eorum opinio, qui ad Protagoram ipsum sententias eas, quae mytho illo continentur, referre volunt. Quae autem altera ex parte prolata sunt, illa quidem nonnullis rebus bene conveniunt cum Diogenis Apolloniatae quae traditae sunt sententiis, neque vero videtur sani esse consilii, nisi graviora quam adhuc reperta sunt indicia adferri potuerint, ea certo cuidam eorum quos cognovimus auctorum assignare.

Collectio locorum quibus de hominum erecto statu et aspectu sursum converso agitur.

Antiquorum de structura humana sententias exquirenti plurimi loci mihi obvenerunt, quibus de hominum erecto statu et aspectu in coelum converso disseritur. Eis autem, quae ipse inveni, accesserunt permulta et praeclara harum sententiarum exempla Caroli Praechter beneficio, qui magna cum liberalitate eas, quas ipse his de rebus fecerat, collectiones mihi utendas detulit. Horum locorum plurimi, cum apud auctores occurrant, qui post Aristotelis aetatem floruerunt, non multum adferunt ad patefaciendum, quae inter primas harum sententiarum expositiones intercesserint rationes. Sed cum optime eis declaretur, quomodo haec sint per multa saecula atque inter scriptores rerum maxime diversarum diffusa, nec videantur sine utilitate futura esse ad alias si quae erunt his de rebus investigationes, totam seriem eorum quos cognoverim locorum adiungo. Atque eos, quos supra in dissertatione iam apposui, paginarum numeris singulis indicavi; ceteros omnes hic transcriptos praebeo, eis solum exceptis, qui apud Aristotelem et Lactantium inveniuntur, quos, cum sint permulti atque inter se persimiles, satis visum est non verbis ipsis apponere sed tantummodo singulis librorum nominibus et capitum numeris significare.

Xenophon, Comm. I 4, 11 p. *12*.

Plato, Symp. 190 A, D p. *21*, De re publ. IX 586 A p. *23*, Crat. 396 B p. *23*, 409 C p. *24*, Tim. 90 A p. *21*, 91 E p. *27*.

Ps. Plat., Axioch. 370 B: *οὐ γὰρ δὴ θνητή γε φύσις τοσόνδε ἂν ἤρατο μεγεθουργίας, ὥστε καταφρονῆσαι μὲν ὑπερβαλλόντων θηρίων βίας, διαπεραιώσασθαι δὲ πελάγη, δείμασθαι δὲ ἄστη, καταστήσασθαι δὲ πολιτείας, ἀναβλέψαι δὲ εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἰδεῖν περιφορὰς ἄστρων καὶ δρόμους ἡλίου τε καὶ σελήνης, ἀνατολάς τε καὶ δύσεις, ἐκλείψεις τε καὶ ταχείας ἀποκαταστάσεις . . . εἰ μή τι θεῖον ὄντως ἐνῆν πνεῦμα τῇ ψυχῇ, δι᾽ οὗ τὴν τῶν τηλικῶνδε περίνοιαν καὶ γνῶσιν ἔσχεν.*

Aristoteles, De part. an. III 662 b 18 p. *12*, IV 686 a 33 p. *13*, II 653 a 31, 656 a 12, III 669 b 5, IV 686 a 27, 687 a 5, 689 b 11, 690 a 29, De animal. incessu 710 b 9, De iuvent. et sen. 468 a 5, De respir. 477 a 21, De somn. 457 b 25. Cf. Bonitz, Ind. Aristotel. (*ὀρθός*).

Philemon, Frg. 3 (II p. 478 Kock):

οἴει τι τῶν ἄλλων διαφέρειν θηρίων
ἄνθρωπον; οὐδὲ μικρὸν ἀλλ᾽ ἢ σχήματι·
πλάγι᾽ ἐστὶ τἄλλα, τοῦτο δ᾽ ὀρθὸν θηρίον.

Heraclitus, Alleg. Hom. XIV p. 29 sq. (Mehler): *Ὅμηρος δὲ καὶ σφόδρα φυσικῶς τὴν περὶ τὰ λοιμικὰ τῶν παθημάτων συντυχίαν διὰ τούτου παρίστησιν· οἱ γὰρ ἐμπειρίαν ἰατρικῆς τε καὶ φιλοσοφίας ἔχοντες δι᾽ ἀκριβοῦς παρατηρήσεως ἔγνωσαν ἐν ταῖς λοιμικαῖς νόσοις τὸ δεινὸν ἀπὸ τῶν τετραπόδων ζῴων ἀρχόμενον. κατ᾽ ἄμφω δ᾽ ἡ πρόφασίς ἐστιν εὔλογος, ὥστ᾽ εὐάλωτα πρὸς τὸ δεινὸν εἶναι· τῆς τε γὰρ διαίτης τὸ ἀκριβὲς οὐ θηρᾶται, δι᾽ ἣν ἀταμιεύτως σιτίων τε καὶ ποτῶν ἐμπιμπλάμενα διαφθείρεται, μηδενὸς λογισμοῦ τὴν ἐπὶ τὸ πλέον ὁρμὴν χαλινοῦντος. ἔπειθ᾽, ὃ καὶ μᾶλλον ἀληθές ἐστιν, οἱ μὲν ἄνθρωποι μεταρσίοις ταῖς ἀναπνοαῖς τὸν καθερώτερον ἕλκοντες ἀέρα, βραδύτερον ἁλίσκονται τῷ πάθει.* Cf. Porphyr. quaest. Hom. ad Il. A 150 p. *97*.

Euryphamus, ap. Stob. flor. 103, 27 (Meineke IV p. 10, 18) p. *15*.

Cicero, De nat. deor. II 56, 140: Quae primum eos humo excitatos celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem caelum intuentes capere possent.

De leg. I 9, 26 p. *15*.

Sallustius, Cat. I 1: Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura prona atque ventri oboedientia finxit.

Vitruvius, II 1, 2: ... homines .. habentes ab natura praemium praeter reliqua animalia ut non proni sed erecti ambularent mundique et astrorum magnificentiam aspicerent, item manibus et articulis quam vellent rem faciliter tractarent . . . .

Ovidius, Metamorph. I 84 p. *20*.

Manilius, Astronom. IV 896 sqq.:

An quoquam genitos, nisi caelo, credere fas est
esse homines? Proiecta iacent animalia cuncta
in terra, vel mersa vadis, vel in aëre pendent;
omnibus una quies, venter censusque per artus,
et, quia consilium non est, et lingua remissa;
unus in inspectus rerum viresque loquendi
ingeniumque capax variasque educitur artes
hic partus, qui cuncta regit, secessit in urbes,
edomuit terram ad fruges, animalia cepit,
imposuitque viam ponto, stetit unus in arcem
erectus capitis victorque ad sidera mittit
sidereosque oculos propiusque adspectat Olympum,
inquiritque Iovem.

Cf. F. Boll, Stud. üb. Claud. Ptolom. p. 146 (Jbb. f. cl. Phil. Suppl. XXI 1894).

Philo, De mundo 605 M: *ἐξαιρέτου δὲ τῆς κατασκευῆς ἔλαχεν ἄνθρωπος· τῶν μὲν γὰρ ἄλλων τὰς ὄψεις περιήγαγε κάτω κύψας, διὸ νένευκε πρὸς χέρσον· ἀνθρώπου δὲ ἔμπαλιν ἀνώρθω-*

σεν, ἵνα τὸν οὐρανὸν καταθεᾶται· φυτὸν οὐκ ἐπίγειον ἀλλ' οὐράνιον, ὡς παλαιὸς λόγος. Cf. Plat. Tim. 90 A, Dion. Cass. XXX, 2 p. *97*, Basil. Hom. in Hex. IX 2 p. *98*, Nemes. De nat. hom. § 27.

De mundo 607 M: τῷ τοι καὶ τὸ σῶμα ἀνεγερθὲν πρὸς τὴν καθαρωτάτην τοῦ παντὸς μοῖραν, οὐρανόν, τὰς ὄψεις ἀνέτεινεν ἵνα τῷ φανερῷ τὸ ἀφανὲς ἐκδήλως καταλαμβάνηται.

De animal. 11 p. 127 (Aucher) p. *15*.

Seneca, Epist. 65, 20: Vetas me caelo interesse, id est iubes me vivere capite demisso?

Ep. 92, 30: Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur et spectat in caelum, ita animus, cui in quantum vult licet porrigi, in hoc a natura rerum formatus est, ut paria dis vellet. Cf. Boll, l. l. p. 148.

Ep. 94, 56: Illa (sc. natura) vultus nostros erexit ad caelum et quidquid magnificum mirumque fecerat, videri a suspicientibus voluit.

Nat. quaest. V 15, 3: Quae tanta necessitas hominem ad sidera erectum incurvavit et defodit et in fundum telluris intimae mersit, ut erueret aurum non minore periculo quaerendum quam possidendum?

Anonymus Aetnae poematis auctor, 224 sqq.:
Non oculis solum pecudum miranda tueri
more nec effusis in humum grave pascere corpus,
nosse fidem rerum dubiasque exquirere causas,
ingenium sacrare caputque attollere caelo,
scire, quot et quae sint magno fatalia mundo
principia . . . . .
251 . . divina est animi ac iucunda voluptas.

Iuvenalis, XV 142: Separat hoc nos
a grege mutorum, atque ideo venerabile soli
sortiti ingenium divinorumque capaces
atque exercendis capiendisque artibus apti
sensum a coelesti demissum traximus arce,
cuius egent prona et terram spectantia.

Plutarchus, Quaest. conviv. 671 A B: *λέγουσι δὲ καὶ τὰ ὄμματα τῶν ὑῶν οὕτως ἐγκεκλάσθαι καὶ κατεσπᾶσθαι ταῖς ὄψεσιν ὥστε μηδενὸς ἀντιλαμβάνεσθαι μηδέποτε τῶν ἄνω μηδὲ προσορᾶν τὸν οὐρανόν, ἂν μὴ φερομένων ὑπτίων ἀναστροφήν τινα παρὰ φύσιν αἱ κόραι λάβωσι. διὸ καὶ μάλιστα κραυγῇ χρώμενον τὸ ζῷον ἡσυχάζειν, ὅταν οὕτω φέρηται καὶ σιωπᾶν κατατεθαμβημένον ἀηθίᾳ τὰ οὐράνια καὶ κρείττονι φόβῳ τοῦ βοᾶν συνεχόμενον.*

L. Apuleius, Apologia sive de magia lib. c. 7 p. 11, 16 (van der Vliet): Ego certe pro meo captu dixerim, nihil minus quam oris illuviem libero et liberali viro competere. Est enim ea pars hominis loco celsa, visu prompta, usu facunda. Nam quidem feris et pecudibus os humile et deorsum ad pedes deiectum, vestigio et pabulo proximum, numquam ferme nisi mortuis aut ad morsum exasperatis conspicitur: hominis vero nihil prius tacentis, nihil saepius loquentis contemplere.

Galenus, De usu part. corp. hum. III 3 (Helmr. p. 133, 15) p. *22* sq.

Sextus Empiricus, Adv. math. 9, 94 p. 412 (Bekker): *εἶτα δὲ ὀρθὴν θέσιν τε καὶ χρῆσιν μερῶν, πρῶτον μὲν ὅτι διανέστησε τὸν ἄνθρωπον, ὄμματά γε μὴν ἔδωκεν ὥστε ὁρᾶν τὰ ὁρατά, ἀκοὴν δὲ ὥστε ἀκούειν τὰ ἀκουστά.* Cf. Xen. Comm. I 4, 5 et 11.

Minucius Felix, 17, 2 et 11 p. *20*.

Clemens Alexandrinus, Strom. IV 26, 163: *οὔκουν εὐλόγως οἱ κατατρέχοντες τῆς πλάσεως καὶ κακίζοντες τὸ σῶμα, οὐ συνορῶντες τὴν κατασκευὴν τοῦ ἀνθρώπου ὀρθὴν πρὸς τὴν οὐρανοῦ θέαν γενομένην καὶ τὴν τῶν αἰσθήσεων ὀργανοποιίαν πρὸς γνῶσιν συντείνουσαν τά τε μέλη καὶ μέρη πρὸς τὸ καλόν, οὐ πρὸς ἡδονὴν εὔθετα.*

Epistula ad Diognetum, c. X: *ὁ γὰρ θεὸς τοὺς ἀνθρώπους ἠγάπησε, δι' οὓς ἐποίησε τὸν κόσμον, οἷς ὑπέταξε πάντα τὰ ἐν τῇ γῇ, οἷς λόγον ἔδωκεν, οἷς νοῦν, οἷς μόνοις ἄνω πρὸς αὐτὸν ὁρᾶν ἐπέτρεψεν, οὓς ἐκ τῆς ἰδίας εἰκόνος ἔπλασε, πρὸς οὓς ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, οἷς τὴν ἐν οὐρανῷ βασιλείαν ἐπηγγείλατο καὶ δώσει τοῖς ἀγαπήσασιν αὐτόν.*

Cassius Dio, XXX, 2 (I p. 40 Dind.) = Mai scrip. vet. nov. coll. II p. 532: *οὐκ ἔστιν οὐδὲν ζῷον θνητὸν οὔτ' ἄμεινον οὔτ' ἰσχυρότερον ἀνθρώπου. ἢ οὐχ ὁρᾶτε ὅτι τὰ μὲν ἄλλα πάντα κάτω κέκυφε καὶ ἐς τὴν γῆν ἀεὶ βλέπει, πράττει δὲ οὐδὲν ὃ μὴ τροφῆς καὶ ἀφροδισίων ἔχεται; οὕτω καὶ ὑπ' αὐτῆς τῆς φύσεως ἐς ταῦτα κατακέκριται. μόνοι δὲ ἡμεῖς ἄνω τε ὁρῶμεν καὶ τῷ οὐρανῷ αὐτῷ ὁμιλοῦμεν καὶ τὰ μὲν ἐπὶ τῆς γῆς ὑπερφρονοῦμεν, τοῖς δὲ δὴ θεοῖς αὐτοῖς ὡς καὶ ὁμοίοις οὖσιν ἡμῖν σύνεσμεν, ἅτε καὶ φυτὰ καὶ ποιήματα αὐτῶν οὐ γήινα ἀλλ' οὐράνια ὄντες.*

Porphyrius, Quaest. Hom. ad Il. pert. A 150 (Schrader p. 4, 6): *διὰ τί ἀπὸ τῶν κυνῶν καὶ τῶν ἡμιόνων ὁ λοιμὸς ἤρξατο, ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων δὲ οὐ οὐδὲ ἀπ' ἄλλου ζῴου τινός; . . . οἱ δὲ ἀληθέστερον καὶ φιλοσοφώτερόν φασιν, ὅτι ἅπας μὲν λοιμὸς ἀπὸ ἐκφλογώσεως γίνεται, γῆθεν ἀναφερόμενος ἐξ ἀναθυμιάσεως. . . . ἐκ δὲ τῆς γῆς γιγνομένης τῆς νόσου, ἀναγκαῖον τοὺς κύνας πρώτους ᾐσθῆσθαι ⟨εἰσθεῖσθαι* cod.⟩ *τῆς βλάβης, ὅτι τε καὶ αἰσθητικώτερά ἐστι τὰ ἄλογα ζῷα φύσει τῶν ἀνθρώπων καὶ ὅτι κάτω νεύουσι πρὸς τῇ γῇ καὶ ἀνιχνεύουσι.*

Hermes, *ἐκ τῶν πρὸς Τάτ* Stob. I 41, 6 p. 284, 20 Wachsm.: *τὰ δὲ φύσει γιγνόμενα ἐνεργείᾳ μὲν γίγνεται καθολικῇ· τὰ δὲ ἐπιστήμῃ καὶ τέχνῃ εἰδικῶς παραγίγνεται, οὐ πᾶσι· . . οἷον οἱ ἄνθρωποι ⟨πάντες⟩ ἄνω βλέπουσιν, οὐ πάντες δὲ ἄνθρωποι μουσικοὶ οὐδὲ πάντες τοξόται ἢ κυνηγοὶ οὐδὲ τὰ ἄλλα πάντα.*

Lactantius, Div. inst. II 1, 14 p. *20*; VII 9, 11 p. *20*; II 2, 19; II 17, 9; II 18, 1. 6; III 10, 11 sq.; III 12, 26; III

20, 11; III 27, 16; III 28, 16; VI 20, 7 sq.; VII 5, 7. 20. 25 sq.; Inst. epit. 20 (25), 4. 9; 25 (30), 1; 65 (70), 4 (11); De ira 14, 1 sq. p. *16*; 20, 10 p. *20*; 7, 5; De op. dei 8, 2; 10, 26; 19, 10.

I. Firmicus Maternus, Astronom. VIII praef.: Nihil enim debemus cogitare terrenum, praesertim cum sciamus fabricatorem nostrum deum ita nos divini artificii moderatione fecisse, ut recti corporis forma ab omni humilitatis deiectione seposita nihil aliud primum patefacta oculorum acie nisi solem et lunam stellasque et horum omnium pulcherrimum atque immortale domicilium mundum scilicet videremus. ceteros enim animantes ita natura composuit ut ad terram demersi et caduca quadam mundi huius humilitate proiecto et animo et corpore terrenis semper conversationibus inhaererent.

Basilius, Homil. in illud, Attende tibi ipsi. Migne 31, p. 216 C.: *ὄρθιον ἔπλασε μόνον τῶν ζώων τὸν ἄνθρωπον, ἵν' ἐξ αὐτοῦ τοῦ σχήματος εἰδῇς, ὅτι ἐκ τῆς ἄνωθεν συγγενείας ἐστὶν ἡ ζωή σου. τὰ μὲν γὰρ τετράποδα πάντα πρὸς τὴν γῆν βλέπει καὶ πρὸς τὴν γαστέρα νένευκεν· ἀνθρώπῳ δὲ ἑτοίμη πρὸς οὐρανὸν ἡ ἀνάβλεψις, ὥστε μὴ σχολάζειν γαστρὶ μηδὲ τοῖς ὑπὸ γαστέρα πάθεσιν, ἀλλ' ὅλην ἔχειν τὴν ὁρμὴν πρὸς τὴν ἄνω πορείαν.*

Homil. in hex. IX 2, Migne (29) p. 192 A: *τὰ κτήνη γήινα καὶ πρὸς γῆν νενευκότα· ἀλλὰ τὸ οὐράνιον φυτὸν ὁ ἄνθρωπος ὅσον τῷ σχήματι τῆς σωματικῆς διαπλάσεως, τοσοῦτον καὶ τῷ ἀξιώματι τῆς ψυχῆς διενήνοχε. τῶν τετραπόδων τὸ σχῆμα ποταπόν; ἡ κεφαλὴ αὐτῶν ἐπὶ γῆν προσνένευκεν, ἐπὶ γαστέρα βλέπει καὶ τὸ ταύτης ἡδὺ ἐκ παντὸς τρόπου διώκει. ἡ σὴ κεφαλὴ πρὸς οὐρανὸν διανέστηκεν· οἱ ὀφθαλμοί σου τὰ ἄνω βλέπουσιν.*

Gregorius Nyssenus, Or. in verba Fac. hom. II Migne 44 p. 293 C: *ἔπλασεν ὁ Θεὸς ὀρθόν· ἐξαίρετον ταύτην σοι τὴν διάπλασιν παρὰ τὰ λοιπὰ ζῷα ἔδωκε. διὰ τί; ἐπειδὴ*

ἐξαίρετόν σοι καὶ τὴν ἐνέργειαν ἀποδιδόναι ἔμελλε. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα βοσκήματά ἐστι καὶ πρὸς ἃ πέφυκε, πρὸς ταῦτα ἔχει τὴν κατασκευήν. ἐγενήθη τὸ πρόβατον νέμεσθαι, κάτω ἔχει τὴν κεφαλὴν συννεύουσαν τῇ γαστρὶ ἐνορᾶν καὶ τοῖς ὑπὸ γαστέρα, ἐπειδὴ τέλος ἐκείνοις εὐδαιμονίας ἡ γαστρὸς πλήρωσις καὶ ἀπόλαυσις. ἄνθρωπος δὲ οὐκέτι εἰς γαστέρα βλέπει, ἀλλ' εἰς τὰ ἄνω. κεφαλὴ αὐτῷ ὑψηλή, ἵνα τὴν ἄνω βλέπῃ συγγένειαν· ὀφθαλμοὶ οὐκ εἰς τὴν γῆν νεύοντες. . .

De hom. opific. 8, Migne 44 p. 144 a: *ὄρθιον δὲ τῷ ἀνθρώπῳ τὸ σχῆμα καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνατείνεται καὶ ἄνω βλέπει. ἀρχικὰ καὶ ταῦτα καὶ τὴν βασιλικὴν ἀξίαν ἐπισημαίνονται. τὸ γὰρ μόνον ἐν τοῖς οὖσι τοιοῦτον εἶναι τὸν ἄνθρωπον, τοῖς δὲ ἄλλοις ἅπασι πρὸς τὸ κάτω νενευκέναι τὰ σώματα σαφῶς δείκνυσι τὴν τῆς ἀξίας διαφοράν.* . .

Iohannes Chrysostomus, Expos. in Ps. CXX. 1 Migne 55 p. 345: *διὰ γὰρ τοῦτο καὶ μόνῳ τῷ ζῴῳ τούτῳ τὴν διάπλασιν ὄρθιον ἐποίησεν ὁ Θεὸς καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐν ὕψει κατέθετο τῆς σαρκός, διδάσκων καὶ ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν ὅτι δεῖ πρὸς τὸ ὕψος ὁρᾶν. μόνον γὰρ τοῦτο τὸ ζῷόν ἐστιν οὕτω διαπεπλασμένον· τὰ δὲ ἄλλα πάντα κάτω βλέπει καὶ πρὸς γῆν νένευκεν. οὗτος δὲ πρὸς τὸν οὐρανὸν τέταται ἵνα τὰ ἐκεῖ περισκοπῇ.* . .

De fato et providentia I Migne 50 p. 752 sq.: *διὰ τί γὰρ τοῖς μὲν ἀλόγοις πᾶσι κάτω νεύοντας ἐποίησε τοὺς ὀφθαλμοὺς ὁ Θεός, σοὶ δὲ καθάπερ ἐν ἀκροπόλει τῇ κεφαλῇ φέρων αὐτοὺς ἐγκατέθηκεν; οὐκ ἐπειδὴ ἐκείνοις μὲν οὐδὲν πρὸς τὸν οὐρανὸν κοινόν, σοὶ δὲ μάλιστα τὰ ἄνω περισκοπεῖν νόμος καὶ παρὰ τοῦ Θεοῦ καὶ παρὰ τῆς φύσεως ἐξ ἀρχῆς ἐτέθη; διὰ τί σοὶ μὲν τὸ σῶμα ὄρθιον ἐποίησεν, ἐκείνοις δὲ πάλιν κάτω νενευκός; οὐχὶ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν πάλιν* . . .

Nemesius, De natura hom. 24: . . . *τὰ φρονήσεως ἄμοιρα καὶ καθ' ὁρμὴν φυσικὴν μόνην ζῶντα καὶ πρὸς γῆν κάτω κεκυφότα καὶ τὴν δουλείαν διὰ τοῦ σχήματος ἐνδεικνύμενα* . . .

Claudianus, De raptu Proserp. III 41:

Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
erexisse caput, pecudum si more pererrant
avia, si frangunt communia pabula glandes?

Theodoretus, De prov. III Migne 83 p. 597 B: οὐκ εἰς γῆν διακύπτεις τοῖς ἀλόγοις παραπλησίως, οὐδ' εἰς γαστέρα διανεύεις κατὰ τοὺς χοίρους· ἀνάβλεψον μόνον καὶ βλέπε τὴν πρόνοιαν. ὄρθιον σὲ μόνον τῶν ζώων ἐδημιούργησεν, ἐπὶ δύο ποδῶν ὀχούμενον . . .

Orion Thebanus, ad vocem ἀνθρώπου (Sturz p. 174, 1) p. 24[1].

Anonymus Hermippi de astrologia dialogi auctor, II 13 (Kroll p. 35, 18): ὥστε δι' αὐτὸ τοῦτο καὶ μόνος τῶν ἄλλων ζῴων γίνεται τὸ σχῆμα ὀρθὸς καὶ πρὸς ὀλίγον γῆς ἅπτεται· ἐρρύη δέ τι καὶ θειότερον εἰς αὐτόν, καθ' ὃ νοῦ καὶ λόγου καὶ διανοίας μετέσχε καὶ τὰ ὄντα ἀνηρευνήσατο.

Ruricius, Ep. II 43 (Faustus, ed. A. Engelbrecht, Wien 1891): de omnibus animalibus solus homo sublimis creatus est et effectus, ut auctorem suum semper caelo intentus aspiciat, non mundalia opera sola incessabiliter defixus exerceat. Cf. F. Boll, Stud. üb. Claud. Ptol. p. 240.

Isidorus, Origin. XI 5: Nam proprie homo ab humo, Graeci autem hominem ἄνθρωπον appellaverunt eo, quod sursum spectet sublevatus ab humo ad contemplationem artificis sui (Cf. Lactant. Inst. II 1, 16). Quod Ovidius poeta designat, cum dicit:

pronaque cum spectent animalia cetera terram,
os homini sublime dedit, caelumque videre
iussit et erectos ad sidera tollere vultus.

Qui ideo erectus coelum aspicit ut Deum quaerat, non ut terram intendat, veluti pecora, quae natura prona et ventri oboedientia finxit (Cf. Sallust. Cat. I 1).

Etymologicum Gudianum, ad vocem *ἀνθρώπου* p. *24*[1].

Etymologicum Magnum, ad vocem *ἀνθρώπου* p. *24*[1].

Iohannes Mauropus, Etymolog. vs. 130 (Reitzenstein p. 8) p. *24*[1].

Index scriptorum.

Vita scriptoris.

Natus sum Sherwood Owen Dickerman a. d. IX. Kal. Dec. anni p. Chr. n. MDCCCLXXIV Lewistoniae in re publica Mainensi, patre Georgio Sherwood, matre Elizabetha e gente Street. Americanus sum civis. Fidem profiteor evangelicam.

Litterarum elementis imbutus in scholis publicis et Academia Phillipiana, quae est Andoveriae in re publica Massachusettiensi, adii anno MDCCCXCII universitatem Yalensem, ubi post annos quattuor gradum Artium Baccalaurei obtinui. Deinde postquam ibidem per annum litteris antiquis incubui, in Graeciam profectus Athenis in schola Americana per duos annos studia archaeologica persecutus sum. Postea in patriam reversus quattuor annos in universitate Yalensi elementa litterarum Graecarum tradidi. Ex anno MCMIII Halis Saxonum studia philologica et archaeologica tractavi, uno anno intermisso quo in universitate Yalensi iterum praeceptoris munere functus sum. Docuerunt me viri illustrissimi Yalenses: Clapp, Goodell, Morris, Peck, Perrin, Reynolds, Seymour †, Wright; Halenses: Bechtel, Blass †, Dittenberger †, Kern, Riehl, Robert, Schwarz, Wilcken, Wissowa. Quibus omnibus quantum debeam numquam obliviscar. Maximas autem gratias Carolo Praechter ago, qui hac in dissertatione conficienda multum consilio et opera me adiuvit.

Vita scriptoris.

Natus sum Sherwood Owen Dickerman a. d. XIX Kal. Dec. anni p. Chr. n. MDCCCLXXIV [illegible] in re publica [illegible], patre Georgio Sherwood, matre [illegible] e gente Street. Americanae sum civis, fidem profiteor evangelicam.

Litterarum elementis imbutus in scholis publicis et Academia Phillipsiana, quae est Andoveriae in re publica Massachusettensi, adii anno MDCCCXCII universitatem Yalensem, ubi post annos quattuor gradum artium Baccalaurei [illegible]. Deinde postquam biennium per [illegible] litteris antiquis [illegible], in Graeciam profectus Athenis in schola Americana per duos annos studiis archaeologicis persecutus sum. Deinde in patriam reversus quattuor annos in universitate Yalensi iuvenibus litteras Graecorum tradidi. Ex anno MCMIII Halis Saxonum studiis philologicis et archaeologicis [illegible], uno anno intermisso quo in universitate Yalensi iterum praeceptoris munere functus sum. Docuerunt me viri illustrissimi Yalenses: Clapp, Goodell, Morris, Peck, Perrin, Reynolds, Seymour †, Wright; Halenses: Bechtel, Blass †, Dittenberger †, Kern, [illegible], Robert, Schwartz, Wilcken, Wissowa. Quibus omnibus quantum debeam numquam obliviscar. Maximas autem gratias [illegible] ago, qui hac in dissertatione conficienda auxilio consilio et opera me adiuvit.